DE VALERIO FLACCO IMITATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XIV. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXCIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ARTHURUS GRUENEBERG
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:
W. NACHSTAEDT, STUD. PHIL.
A. REIMANN, STUD. PHIL.
A. WERMINGHOFF, DR. PHIL.

BEROLINI 1893
RICHARD HEINRICH.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

S

Pernotum est omnes Romanorum poetas epicos, praecipue posteriores, singula verba et totas sententias a prioribus poetis desumpsisse vel colore plus minus mutato imitatos esse. Neque minus apparet quodammodo ex his imitationibus iudicium peti posse de arte vel pretio poetae. In universum enim eum poetam pluris aestimare necesse est, qui rarissime priores imitatus est, vel, si imitatus est, non servilem in modum prioris poetae verba repetivit, sed liberum in imitando se gessit aut illum superare studuit. Itaque operae pretium mihi videtur, si iudicium de Valerii Flacci arte poetica facere volumus, inquirere, quos poetas et quibus in rebus et qua ratione imitatus sit.

Valerius autem, Graeci sermonis peritissimus, carmen suum de Argonautarum expeditione ita instituit, ut in rebus disponendis prorsus sequeretur Appollonium Rhodium. Quo fit, ut huius imitationes apud eum sint permultae. Sed praetermitto Apollonium Rhodium, quia de condicione, quae intercedit inter hunc et Valerium, iam ab aliis actum est. Equidem mihi proposui quaerere, quos alios poetas Flaccus imitatus sit, et Graecos et Latinos.

Atque ne nimis lacera videatur disputatio, sequor temporum ordinem, quo quidem fit, ut Graeci poetae ante Latinos absolvantur, quamquam videbimus, id quod facile intellegitur, poetam Latinum accuratius sequi suae linguae poetas.

Ergo incipio a Graecorum poeta vetustissimo, *Homero*, cuius imitationes sunt satis multae. Quoniam vero plures sunt Iliadis quam Odysseae, illas primo loco afferam. Maximi autem momenti sunt ii loci, quibus propter rerum similitudinem imitatio statuenda est. In his est *τειχοσκοπία* illa, quae appellatur. Apud Valerium enim Medea et Juno, quae assumpta Hecates facie illi appropinquaverat, „murorum extrema capessunt“ (VI 503), ut inde pugnam spectent; atque deinde sermonem inter se habent simillimum ei, quem apud Homerum in muro habet Helena cum Priamo. Quaerit Medea ex Junone

Val. VI 588 sqq.:

„quis, precor, hic, toto iamdudum fervere campo
quem tueor quemque ipsa vides? nam te quoque tali
attonitam virtute reor.“

Cui respondet illa

Val. VI 592 sqq.:

„ipsum“ ait „Aesoniden cernis, soror, aequore tanto
debita cognati repetit qui vellera Phrixi,
nec nunc laude prior generis nec sanguine quisquam.
aspicis, ut Minyas inter proceresque Cytaeos
emicet effulgens quantisque insultet acervis.“

Similiter ter in Iliade interrogat Priamus, respondet Helena. Affero exempli causa secundam tantum regis interrogationem

Il. III 192 sqq.:

„εἴπ᾽ ἄγε μοι καὶ τόνδε, φίλον τέκος, ὅς τις ὅδ᾽ ἐστίν·
μείων μὲν κεφαλῇ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο,
εὐρύτερος δ᾽ ὤμοισιν ἰδὲ στέρνοισιν ἰδέσθαι.
τεύχεα μέν οἱ κεῖται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,
αὐτὸς δὲ κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν.
ἀρνειῷ μιν ἔγωγε ἐίσκω πηγεσιμάλλῳ,
ὅς τε ὀίων μέγα πῶυ διέρχεται ἀργεννάων.“

Ad haec Helena:

Il. 200 sqq.:

„οὗτος δ᾽ αὖ Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεύς,
ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης κραναῆς περ ἐούσης
εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά.“

Apparet, quaenam sit similitudo inter Homeri et Flacci narrationem.

Paucis versibus intermissis apud Latinum poetam Juppiter, quamvis invitus, patitur Colaxem filium „complere sua fata“ haec secum corde volutans

VI 624 sqq.:

„ei mihi, si durae natum subducere sorti
moliar atque meis ausim confidere regnis!
frater adhuc Amyci maeret nece cunctaque divum
turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque,
quin habeat sua quemque dies, cunctisque negabo,
quae mihi.“

Quae verba sunt tanquam compendium illius longioris orationis, qua apud Homerum Juno marito opprobrio facit, quod Sarpedona fato eripere velit

Il. XVI 440 sqq.:

„αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες.
ἄνδρα θνητὸν ἐόντα, πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ,
ἂψ ἐθέλεις θανάτοιο δυσηχέος ἐξαναλῦσαι;
ἔρδ᾽· ἀτὰρ οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι.
ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
αἴ κε ζῶν πέμψῃς Σαρπηδόνα ὅνδε δόμονδε,
φράζεο μή τις ἔπειτα θεῶν ἐθέλῃσι καὶ ἄλλος
πέμπειν ὃν φίλον υἱὸν ἀπὸ κρατερῆς ὑσμίνης.
πολλοὶ γὰρ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο μάχονται
υἱέες ἀθανάτων, τοῖσιν κότον αἰνὸν ἐνήσεις.
ἀλλ᾽ εἴ τοι φίλος ἐστί, τεὸν δ᾽ ὀλοφύρεται ἦτορ,
ἤ τοι μέν μιν ἔασον ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ
χέρσ᾽ ὕπο Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.“

Seditione deorum Olympicorum exorta Juppiter, ut exemplum statueret, coniugem, quae in ipsis tumultuantibus videtur fuisse, Olympo suspendit Vulcanumque, qui auxilio ei venerat, e caelo eiecit, dum in Lemnum insulam decidit. Hoc Valerius sic narrat

II 82 sqq.:

tempore quo primum fremitus insurgere opertos
caelicolum et regni sensit novitate tumentes
Juppiter aetheriae nec stare silentia pacis,
Junonem volucri primam suspendit Olympo
horrendum chaos ostendens poenasque barathri.
mox etiam pavidae temptantem vincula matris
solvere praerupti Vulcanum vertice caeli
devolvit; ruit ille polo noctemque diemque
turbinis in morem, Lemni cum litore tandem
insonuit.

Dubitari vix potest, quin exemplar huius narrationis fuerit locus ille Homericus, quo Juppiter ipse uxorem de hac poena admonet

Il. XV 18 sqq.:

„ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τε κρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
ἄκμονας ἧκα δύω, περὶ χερσὶ δὲ δεσμὸν ἴηλα
χρύσεον ἄρρηκτον; σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν
ἐκρέμω· ἠλάστεον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,
λῦσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παρασταδόν· ὃν δὲ λάβοιμι,
ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται
γῆν ὀλιγηπελέων.“

Quocum conferri possunt primi Iliadis libri vv. 590 sqq., ubi Vulcanus ipse huius rei mentionem facit his verbis:

„ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα
ῥῖψε (Ζεὺς), ποδὸς τεταγών, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
κάππεσον ἐν Λήμνῳ.“

Hic iam cognosci potest Valerium in imitando libenter uti aliqua superlatione. Non satis ei erat totum diem, ut apud Homerum, cadere Vulcanum; itaque totum diem totamque noctem eum facit cadentem.

Clita apud Flaccum III 320 sqq. sic lamentatur:

„Mygdonis *arma patrem funestaque proelia* nuper
natales *rapuere* domos, *Triviaeque potentis*
occidit arcana genetrix absumpta sagitta:
tu, mihi qui coniunx pariter fraterque parensque
solus et a prima fueras spes una iuventa,
deseris heu!“

Simillimas lamentationes Homerus dat Andromachae, cum Hector in proelium iturus est

Il. VI 414:

„ἦ τοι γὰρ πατέρ᾽ ἁμὸν ἀπέκτανε δῖος Ἀχιλλεύς.

421 sqq.:

οἳ δέ μοι ἑπτὰ κασίγνητοι ἔσαν ἐν μεγάροισιν,
οἱ μὲν πάντες ἰῷ κίον ἤματι Ἄιδος εἴσω·
πάντας γὰρ κατέπεφνε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς
βουσὶν ἐπ᾽ εἰλιπόδεσσι, καὶ ἀργεννῇς ὀίεσσιν.
τὴν ἐπεὶ ἂρ᾽ δεῦρ᾽ ἤγαγ᾽ ἅμ᾽ ἄλλοισι κτεάτεσσιν,
ἂψ ὅ γε τὴν ἀπέλυσε λαβὼν ἀπερείσι᾽ ἄποινα
πατρὸς δ᾽ ἐν μεγάροισι βάλ᾽ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.
Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Sed maxime imitationem probant nonnullae comparationes.

Describuntur curae, quibus Jason vexatur, apud Valerium ita

V. 304 sqq.:

qualiter ex alta *cum Juppiter* arce *coruscat,*
Pliadas ille movens mixtumque sonoribus *imbrem*
horriferamve *nivem,* canis ubi tollitur omnis

campus aquis aut sanguinei magna ostia belli
aut altos duris fatorum gentibus ortus.
sic tum *diversis* hinc atque hinc motibus anceps
pectora dux crebro *gemitu quatit*, optat et almum
iam iubar et certi tandem discriminis horas.

Simillime in Iliade Agamemnonis curae sic comparantur

X 5 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠυκόμοιο
τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον ἠὲ χάλαζαν
ἢ νιφτόν, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας
ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο,
ὣς πυκίν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστενάχιζ' Ἀγαμέμνων
νειόθεν ἐκ κραδίης, τρομέοντο δέ οἱ φρένες ἐντός.

Nota illa comparatio de avibus sumpta, quam Homerus sic formavit

Il. II 459 sqq.:

τῶν δ', ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών,
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον· αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν
σμερδαλέον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.
ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι
μυρίοι, ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.,

similiter expressa apud Flaccum quoque legitur

VI 163 sqq.:

nec tot ab extremo fluctus agit aequore, nec sic
fratribus adversa Boreas respondet ab unda,
aut is apud fluvios volucrum sonus, aethera quantus
tunc lituum concentus adit lymphataque miscet

milia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
ipse rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu
nutat humus.

Eodem Valerii sexto libro comparationum plenissimo alia occurrit, quae adeo cum Homerica comparatione congruit, ut illam huius versionem esse appareat:

Val. VI 708 sqq.:

sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine vultus
et gravidae *maduere comae*, quas flore Sabaeo
nutrierat liquidoque parens signaverat auro.
qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae
educat ac ventis oleam felicibus implet,
nec labor assiduus, nec spes sua fallit alentem,
iamque videt *primum tenero de vertice frondem*;
cum *subito immissis* praeceps aquilonia *nimbis*
venit hiemps nigraque *evulsam tendit* harena;
haud secus ante urbem Myraces atque ipsius ante
virginis ora cadit.

Il. XVII 51 sqq.:

αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι
πλοχμοί θ', οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.
οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ὅθ' ἅλις ἀναβέβρυχεν ὕδωρ,
καλὸν τηλεθάον· τὸ δέ τε πνοιαὶ δονέουσιν
παντοίων ἀνέμων, καί τε βρύει ἄνθεϊ λευκῷ·
ἐλθὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ
βόθρου ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ
τοῖον Πάνθου υἱὸν ἐυμμελίην Εὔφορβον
Ἀτρεΐδης Μενέλαος ἐπεὶ κτάνε, τεύχε' ἐσύλα.

Supervacaneum est singulas similitudines ostendere, cum legenti ultro se praebeant tot, ut omnino non possit dubitari, quin Valerius meminerit Graeci poetae.

Cum leone catulos defendente et Flaccus comparat Telamonem, qui Canthum mortuum tuetur

VI 345 sqq.:

at vero ingentem Telamon procul extulit orbem
exanimem te, Canthe, tegens: ceu saeptus in arto
dat oculos post terga leo, sic comminus hastam
Aeacides gressumque tenet contraque ruentem
septeno validam circumfert tegmine molem.

et Homerus Aiacem, qui Patroclum mortuum defendit

Il. XVII 132 sqq.:

Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας
ἑστήκειν ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσωνται ἐν ὕλῃ
ἄνδρες ἐπακτῆρες.

Hic quidem in singulis minus est similitudinis, sed simillima occasio, qua apud utrumque poetam comparatio reperitur, suadere videtur, ut Latinus poeta Homerum secutum esse arbitremur. Septemplex quoque scutum, quod unus, quantum scio, Valerius Telamoni tribuit, verisimile reddit poetam eum locum in animo habuisse, quo de Aiace, cui semper datur septemplex scutum, sermo erat.

Quo clarior haec pugna de Patroclo mortuo saeviens fiat, Homerus alteram adicit comparationem

Il. XVII 389 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ταύροιο βοὸς μεγάλοιο βοείην
λαοῖσιν δώῃ τανύειν, μεθύουσαν ἀλοιφῇ·
δεξάμενοι δ' ἄρα τοί γε διαστάντες τανύουσιν
κυκλόσ', ἄφαρ δέ τε ἰκμὰς ἔβη δύνει δέ τ' ἀλοιφή
πολλῶν ἑλκόντων, τάνυται δέ τε πᾶσα διαπρό.
ὣς οἵ γ' ἔνθα καὶ ἔνθα νέκυν ὀλίγῃ ἐνὶ χώρῃ
εἵλκεον ἀμφότεροι.

Eodem consilio, quo clarius pugna de Cantho mortuo facta legentibus ante oculos sit, Valerius eandem comparationem alteri illi addit

VI 358 sqq.:

ut bovis exuvias multo qui frangit olivo
dat famulis, tendunt illi tractuque vicissim
taurea terga domant, *pingui fluit unguine tellus;*
talis utrimque labos, *raptataque limite in arto*
membra viri miseranda *meant. hi tendere contra,*
hi contra, alternaeque virum non cedere dextrae.

Hic luce clarius est Flaccum accuratissime premere vestigia Homeri.

Sunt praeterea res quaedam minores, quae cum accedant ad firmiora illa argumenta iam allata, probare possunt Valerium in componendo suo carmine saepius respexisse Homerum.

Sic Val. VI 752 sq. interveniente nocte pugna interrumpitur:

nox simul atriferas profert mortalibus umbras
et cadit extemplo belli fragor.

Idem pernotum est accidere in Iliade. In mentem revoco

VIII 488: ἀσπασίη, τρίλλιστος ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή.

Sic Valerius IV 77 sqq., ut saepius Homerus, Jovem facit mittentem Irin, ut iussa sua mortalibus deferat:

velocem roseis demittit nubibus *Irim;*
„*i*, Phrygas Alcides et Troiae differat arma.
nunc“ ait „eripiat dirae Titana volucri.“

Qui versus in memoriam revocant ea verba, quibus Homerus eandem rem narrare solet (Il. VIII 398 sq., IX 185 sq., XV 157 sq., XXIV 143 sq.):

Ἶριν δ᾽ ὤτρυνε . . . .
„βάσκ᾽ ἴθι, Ἶρι ταχεῖα . . . . . .“

Val. I 336 sqq.:

„o si mihi sanguis,
quantus erat, cum significum cratera minantem
non leviore Pholum manus haec compescuit auro;

primus in aeratis posuissem puppibus arma
concussoque ratem gauderem tollere remo."

Aeson senex haud multo aliter gloriatur, quam apud Homerum solet Nestor, qui exempli gratia Il. IV 318 sqq. sic dicit:

Ἀτρεΐδη, μάλα μέν κεν ἐγὼν ἐθέλοιμι καὶ αὐτός
ὣς ἔμεν ὡς ὅτε δῖον Ἐρευθαλίωνα κατέκταν.
ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν·
εἰ τότε κοῦρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ὀπάζει.

Sed concedo imitationem hic non magis necessario statuendam esse quam Val. I 255 sqq., ubi Peleus a parvulo filio Achille discedens similiter describitur atque Il. VI 466 sqq. Hector, qui, priusquam in ultimam vitae suae pugnam ruit, filiolo Astyanacti vale dicit. Apud utrumque poetam pater postremo filii salutem diis commendat atque in toto narrationis genere legenti complura similia occurrunt, sed talia, quae minus dici quam sentiri possint. His locis apparet id, quod saepius intellegemus, Valerium, quamquam exemplaris sui videtur memor esse, tamen non servilem in modum id sequi, sed satis libere studere exemplar suum modo mutare modo superare.

Accedunt nonnullae aliae res, quae probare possunt Flaccum in scribendo non immemorem fuisse Homeri.

Offendere potest Val. III 89 sp.:

Terrorque Pavorque
Martis equi,

ubi poeta sine ulla dubitatione Terrorem et Pavorem putat Martis esse equos, cum alias illi eius filii et armigeri sint et apud Hesiodum (Scut. Herc. 195) iuxta eum in curru stantes appareant. Equidem non putaverim Flaccum suo consilio hanc mutationem fecisse, sed errore. Exstat enim locus Homericus, ex quo hic error facillime exoriri poterat

Il. XV 119 sq.:

ὣς φάτο, καί ῥ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε
ζευγνύμεν, αὐτὸς δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανόωντα.

Apparet enim hoc loco facillime fieri potuisse, ut Valerius *Δεῖμόν τε Φόβον τε*, quas voces in Latinum convertit „Terrorque Pavorque“, Martis equos esse censeret. Itaque ex hac quoque re colligendum puto poetam Homerum si non imitatum esse at certe imitari voluisse vel eius memorem fuisse.

Il. XI 425 et saepius de homine vulnerato atque moribundo dicitur:

ὁ δ' ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ,

quod fortasse in animo versabatur Latino poetae, cum de homine in aquis moriente diceret

III 106 sq.:

dedit ille sonum *compressaque mandens*
aequora purpuream singultibus expulit hastam.

Similia reperiuntur in diis inferis advocandis

Val. VII 311 sqq.:

questuque fatigat
Tartara; *pulsat humum* manibusque immurmurat uncis
noctis eram Ditemque ciens.

Il. IX 568 sq.:

πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
κικλήσκουσ' Ἀίδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν.

Extrema pars versus Valeriani huius (VI 555:)

sanguinis ille globos *effusa*que *viscera gestat*

sumptum est ex

Il. XX 418: *προτί οἱ δ' ἔλαβ' ἔντερα χερσὶ λιασθείς,*

quamquam dubium esse non potest, quin prima versus pars „sanguinis ille globos“ debeatur Ovidio (Met. XII 238). Habemus igitur hic exemplum eius imitationis, qua duorum poetarum verba in unum versum sunt conglu-

tinata. Tali imitandi ratione, cuius exempla apud Valerium complura inveniuntur, probari videtur poetam non ex libris illa verba descripsisse, sed quae in memoria ei haerebant priorum poetarum verba carmini suo inseruisse.

Ilus, Dardani filius, ut internoscatur ab homonymo Trois filio, dicitur „vetus"

Val. I 581 sq.:

litoraque et *veteris tumulos* praelabitur *Ili*
Dardaniumque patrem

haud aliter atque in Iliade „*παλαιός*"

XI 371 sq.: *στήλῃ κεκλιμένος ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ*
Ἴλου Δαρδανίδαο, παλαιοῦ δημογέροντος.

Atque accedit, quod utroque loco de Ili tumulo est sermo.

In his quoque versibus Valerianis

VI 219 sqq.:

quis tibi fatales unquam metuisset Amyclas
Oebaliamque manum, *tot*, Rhyndace, *montibus inter*
diviso *totidemque fretis?*

sententia haud parvam praebet similitudinem cum his Iliadis

I 156 sq.: *ἐπεὶ ἦ μάλα πολλὰ μεταξύ,*
οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Conferri quoque potest Val. V 269:

ille furens ira solio se proripit alto

et Il. XX 62: *δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο καὶ ἴαχε.*

Idem oxymoron, quod dicitur, occurrit

Val. VII 215: tum *flebile gaudens*
et Il. VI 484: *δακρυόεν γελάσασα.*

Vertit quoque Flaccus quodam modo verba Homerica, ut perspicuum est maxime

VI 340: dixit et Edonis *nutritum* missile *ventis*
concitat,

ubi verbis „nutritum ventis“ redditur Homericum „ἀνεμοτρεφές“, quod habes

Il. XI 256:

ἀλλ᾽ ἐπόρουσε Κόωνι ἔχων ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος.

Il. XV 624 sq.:

ἐν δ᾽ ἔπεσ᾽ ὡς ὅτε κῦμα θοῇ ἐν νηὶ πέσῃσιν
λάβρον ὑπὸ νεφέων ἀνεμοτρεφές.

Eodem modo „robur Herculeum“ Valerius I 561 dicit memor certe Homerici „βίη Ἡρακληείη“, quod saepissime et in Iliade et in Odyssea occurrit.

Hae sunt Iliadis, quae commemoratione dignae mihi videbantur, imitationes, quae quidem multo plures sunt quam Odysseae. Sed ne hanc quidem Valerius prorsus neglexit.

Describitur Cimmeriorum terra Val. III 397 sqq. ita:

memori iam pridem cognita vati
est procul ad Stygiae devexa silentia noctis
Cimmerium domus et superis incognita tellus,
caeruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam
Sol iuga sidereos nec mittit Juppiter annos.

Similiter iam Homerus Cimmeriorum terram sibi finxerat, cum scriberet

Od. XI 14 sqq.:

ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
ἠέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Amycum gigantem Valerius IV 199 sqq. ita depingit, ut facile Polyphemi Homerici reminiscaris. Uterque est „Neptunia proles“ (Val. IV 213), uterque in antro habitat gregesque pascit (Val. IV 199), uterque contemnit deos et quae sunt similia. Qua in re non inutile puto comparare

verba, quae Flaccus Amyco, Graecus poeta Polyphemo tribuit.

Val. IV 215 sqq.:

„quis mecum foedera iunget?
prima manu cui dona feram? mox omnibus idem
ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.
nec lacrimae nec forte preces *superive vocati*
pectora nostra movent; aliis rex Juppiter oris.“

Od. IX 273 sqq.:

„νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν᾽, ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι·
οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰμεν,
οὐδ᾽ ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην
οὔτε σεῦ οὔθ᾽ ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει.“

Prima autem Amyci verba, quibus mortem appellat „donum“ et minitatur omnes esse morituros, in memoriam revocant Od. IX 369 sq., ubi Polyphemus Ulixi, qui „*ξεινήιον*“ ab eo petiverat, sic respondet:

„Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισιν,
τοὺς δ᾽ ἄλλους πρόσθεν· τὸ δέ τοι ξεινήιον ἔσται.“

Pulcherrime Homerus depingit Ulixis patriae desiderium

Od. I 57 sqq.: *αὐτὰρ Ὀδυσσεύς,*
ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται.

Quorum versuum memor Valerius scripsit

VIII 451 sqq.:

si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes
cerneret et Tempe viridi lucentia *fumo:*
hoc visu *contenta mori.*

Bis in Odyssea (XVI 294 et XIX 13) occurrunt verba:

αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος,

quae de verbo Flaccus in Latinum vertit

V 540: *namque virum trahit ipse chalybs.*

Postremo affero locum, quo Jason inducitur sic alloquens Medeam V 378 sqq.:

„si dea, si magni decus huc ades“ inquit „Olympi,
has ego *credo* faces, haec virginis ora Dianae,
teque renodatam pharetris ac pace fruentem
ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.
si domus in terris atque hinc tibi gentis origo,
felix prole parens, olimque beatior ille,
qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.
sed fer opem, regina, viris, nos hospita pubes
advehimur, Graium proceres tua tecta petentes.
duc, precor, ad vestri quicunque est *ora tyranni*
ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
nam mihi sollicito *deus* ignaroque locorum
te dedit; in te animos atque omnia nostra repono.“

Hanc imitationem Homericam esse nemo negabit, qui comparaverit hos versus

Od. VI 149 sqq.:

„γουνοῦμαί σε, ἄνασσα, θεός νύ τις ἦ βροτός ἐσσι·
εἰ μέν τις θεός ἐσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Ἀρτέμιδί σε ἔγωγε, Διὸς κούρῃ μεγάλοιο,
εἶδός τε μέγεθός τε φυήν τ᾽ ἄγχιστα ἐίσκω·
εἰ δέ τίς ἐσσι βροτῶν, τοὶ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσιν,
τρισμάκαρες μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
τρισμάκαρες δὲ κασίγνητοι· μάλα πού σφισι θυμός
αἰὲν εὐφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο,
λευσσόντων τοιόνδε θάλος χόρος εἰσοιχνεῦσαν.
κεῖνος δ᾽ αὖ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων,
ὅς κέ σ᾽ ἐέδνοισι βρίσας οἶκόνδ᾽ ἀγάγηται.“,

quos paulo infra sequuntur hi

VI 175 sqq.:

„ἀλλ᾽ ἄνασσ᾽ ἐλέαιρε· σὲ γὰρ κακὰ πολλὰ μογήσας
ἐς πρώτην ἱκόμην, τῶν δ᾽ ἄλλων οὔ τινα οἶδα
ἀνθρώπων, οἳ τήνδε πόλιν καὶ γαῖαν ἔχουσιν.
ἄστυ δέ μοι δεῖξον.“

Exstat quidem apud Vergilium quoque similis locus Aen. I 325 sqq.:

Sic Venus, et Veneris contra sic filius orsus:
„nulla tuarum audita mihi neque visa sororum
o — quam te memorem, virgo? namque hau tibi voltus
mortalis, nec vox hominem sonat; o dea certe,
an Phoebi soror? an nympharum sanguinis una?
sis felix nostrumque leves quaecunque laborem,
et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
iactemur, doceas.“

Sed dubium esse non potest, quin hoc loco Valerius non Latinum, sed Graecum poetam imitatus sit, id quod eo magis commemoratione dignum mihi videtur, quod cognoscemus alias Valerium iis locis, quibus et Homerus et Vergilius similes praebebant, semper hunc secutum esse. Multis enim locis, ubi primo aspectu Flaccus ex Homero videtur desumpsisse, non is, sed Vergilius fuit exemplar. Quos locos non hic, sed tum demum afferam, cum de Vergilio agam.

Hoc autem iam nunc puto apparere Homerum in iis poetis, quos imitatus est Valerius, egregium obtinere locum.

Sed Homerum, splendidissimum illud omnium poetarum epicorum exemplar, ne a Valerio quidem neglectum esse vix quisquam mirabitur. Multo magis operae pretium est quaerere, num Flaccus prater hunc (et Apollonium) Graecum poetam sit imitatus.

Sunt enim poetae Graeci, qui eandem rem, quam Valerius tractandam sibi proposuit, non longo carmine epico explicaverint, sed tamen complures versus huic narrationi vel parti eius tribuerint. In his est *Pindarus*, qui Pyth. IV totam Argonautarum expeditionem descripsit. Sed facile intellegas eum breviter tantum res posse explanare, cum eadem, quae Valerius octo libris non absolvit, versibus minus quingentis narret. Itaque pauca

tantum Flaccus ex eo sumere potuit; sed inseruit carmini suo nonnulla, quae ille accuratius narrat.

Legimus enim apud Valerium initio vv. 22 sqq. Pelian, Thessaliae regem, oracula iussisse cavere fratris Aesonis filium Jasonem, qui fortitudinis iam aliquam collegerat famam; itaque optimum ei visum esse consilium e medio tollendi iam diu captum exsequi; propterea blanda quidem, sed dolosa oratione eum Jasonem ita allocutum esse

40 sqq.:

„Hanc mihi militiam, veterum quae pulchrior actis,
annue daque animum: nostri de sanguine Phrixus
Cretheos ut patrias audisti effugerit aras.
hunc ferus Aeetes, Scythiam Phasinque rigentem
qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
inter et attonitae mactat solemnia mensae,
nil nostri divumque memor: non nuntia tantum
Fama refert; ipsum iuvenem tam saeva gementem,
ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
aspicio, meque assiduis lacera illius umbra
questibus, et magni numen maris excitat Helle.
si mihi, quae quondam, vires, vel pendere poenas
Colchida iam et regis caput hic atque arma videres.
olim annis *ille ardor hebet*, necdum mea proles
imperio et belli rebus matura marique.
tu, cui iam curaeque *vigent animique viriles*,
i, decus! et *pecoris nephelaei vellera* graio
redde tholo, ac tantis temet dignare periclis.“

Simillimam orationem Peliae tribuit Pindarus

Pyth. IV 279 sqq.: „Ἔσομαι
τοῖος. ἀλλ᾽ ἤδη με γηραιὸν μέρος ἁλικίας
ἀμφιπολεῖ· σὸν δ᾽ ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει·
δύνασαι δ᾽ ἀφελεῖν
μᾶνιν χθονίων. κέλεται γὰρ ἑὰν ψυχὰν κομίξαι

Φρίξος ἐλθόντας πρὸς Αἰήτα θαλάμους,
δέρμα τε κριοῦ βαθύμαλλον ἄγειν, τῷ ποτ᾽ ἐκ πόντου σαώθη
ἔκ τε ματρυιᾶς ἀθέων βελέων.
ταῦτά μοι θαυμαστὸς ὄνειρος ἰὼν φωνεῖ. μεμάντευμαι δ᾽ ἐπὶ Κασταλίᾳ,
εἰ μετάλλατόν τι. καὶ ὡς τάχος ὀτρύνει με τεύχειν ναῒ πομπάν.
τοῦτον ἄεθλον ἑκὼν τέλεσον· καί τοι μοναρχεῖν
καὶ βασιλευέμεν ὄμνυμι προήσειν. καρτερὸς
ὅρκος ἄμμιν μάρτυς ἔστω Ζεὺς ὁ γενέθλιος ἀμφοτέροις.“

Quicunque has orationes mente non praeoccupata comparat, vix negare potest similitudinem esse tantam, ut alter tantum poeta eam finxisse, alter imitatus esse censendus sit. Primum enim, quod de Phrixo dicitur, abhorret a communi traditione. Secundum hanc enim Phrixus, cum sospes in Colchidem venisset, benigne ab Aeete rege recipitur et filia eius Chalciope in matrimonium ei datur. At apud Pindarum et Valerium Phrixus ab Aeete interficitur. Apud Valerium quidem v. 45., qui hoc narrat, deest in codice Vaticano et propterea a Thilone sub textu ponitur: sed etiamsi genuinus non est, dubium esse non potest, quin tale aliquid, quale praebet ille versus, necessario hic desideretur. Deinde Phrixum in somnio Peliae visum esse petere, ut animam suam domum ferret vellusque aureum arcesseret, nusquam alias, quantum scio, traditur, sed hoc tantum dici solet, Peliam, ut Jasonem perderet, eum iussisse vellus aureum petitum in Colchidem navigare. Apud Pindarum et Valerium Pelias vires senectute debilitatas excusat et Jasonis iuventutem atque vigorem praedicat, quo libentius hic navigationem suscipiat. Hoc quoque alias ignotum est: neque potest negari hunc rerum connexum multo elegantius inventum esse eo, qui vulgo traditur. Atque, ut saepius observari potest Flaccum in eligendis locis, quos imitetur,

satis felicem esse, ita etiam hic nemo ei vitio dabit, quod communem traditionem relinquens Pindarum secutus est.

Quaerenti, num alios quoque poetas Graecos imitatus sit Valerius, in mentem veniet *Theocritum* quoque semel eandem rem narrare, quam illum, dico certamen illud inter Pollucem et Amycum gigantem, quod Theocritus idyllio XXII inscripto Διόσκουροι inde a v. 27 laudibus effert, Valerius IV 199 sqq. describit. Hic quoque secundum nonnullorum virorum doctorum sententiam Flaccus Graeci poetae premit vestigia. Sed conferamus, quae similitudines afferantur. Dicit Valerius

IV 193: omnibus idem animus forti decernere pugna

et Theocritus

XXII 175: διακρινώμεθ᾽ Ἄρηι,

quod simile quidem, sed non tam par est, ut certo de imitatione cogitandum sit. Deinde

Val. IV 292:

conclamant socii et subitas dant gaudia voces.

Theocr. XXII 99 sq.:

οἱ δ᾽ ἅμα πάντες ἀριστῆες κελάδησαν,
ὡς ἴδον ἕλκεα λυγρὰ περὶ στόμα τε γναθμούς τε.

Hic quoque aliquid simile inest, sed tam paulum, ut equidem imitationem statuere non possim. Verba enim dissimilia et res non tam propriae sunt, ut non alter poeta sine altero haec finxisse possit. Occurrunt talia paene in unoquoque certamine describendo. Affero Verg. Aen. V 385, ubi simili occasione haec dicit poeta:

cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.

Postremo legimus

Val. IV 289:

emicat hic dextramque parat dextramque minatur
Tyndarides.

Theocr. XXII 102:

τὸν μὲν ἄναξ ἐτάρασσεν ἐτώσια χερσὶ προδεικνὺς πάντοθεν.

Hic quidem, si „dextram minatur“ explicamus cum Wagnero „simulat se dextra inferre ictum Amyco velle“ maior similitudo inter duos illos versus est. Sed simplicius intellegitur „er droht mit der Rechten“. Deinde argumentum non idem est. Nam accepta Wagneri explicatione apud Valerium Pollux dextra simulat se ictum laturum esse, sinistra Amycum ferit, apud Theocritum ambas manus per aerem iactat, ut gigas nesciat, quam potissimum corporis partem tueatur. Tum opportunum tempus nactus supra nares Amycum ferit. Postremo si versus illi simillimi essent, his solis nisus non contenderem Valerium Graecum poetam imitatum esse.

Imitatus est potius Vergilium, qui Aen. V 362 sqq. describit certamen inter Daretem et Entellum commissum. Fortasse Valerius in hunc locum, quo prorsus aliud certamen narratur, propterea incidit, quod v. 372. commemoratur Amycus et Bebrycia gens, de quibus ipse agit:

Bebrycia veniens Amyci de gente.

Sed concedo hac suspicione ne opus quidem esse, cum, ut infra videbimus, saepissime Flaccus secutus sit Vergilium. Apud hunc inveniuntur hi versus

Aen. V 375 sqq.:

talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
ostenditque humeros latos alternaque iactat
bracchia protendens et verberat ictibus auras.,

et paulo infra

V 421 sqq.:

haec fatus duplicem ex umeris *reiecit amictum*
et magnos membrorum *artus, magna ossa lacertosque*
exuit atque ingens media consistit harena.,

quibus in Valeriano certamine simillimi sunt

IV 243 sqq.: nec plura moratus
ingentes *humeros spatiosa*que pectoris *ossa*
protulit horrendosque toris informibus *artus.*

Atque adeo Flacco versus illi placebant, ut alio quoque loco eos imitaretur:

I 433 sqq.:
at tibi collectas *solvit* iam fibula *vestes*
ostenditque humeros fortes spatiumque superbi
pectoris Herculeis aequum, Meleagre, lacertis.

Facile intellegitur hanc similitudinem multo maioris momenti esse, quam omnes, quas Wagnerus ad Theocriteam imitationem defendendam protulit. Sed accedunt aliae. De caestibus induendis et exuendis Vergilius haec habet verba

V 379: *manibus*que in*ducere caestus*
V 420: et tu Troianos *exue caestus,*

Valerius haec

IV 251: sed, quos potes, *indue caestus*
IV 275: et summos *manibus* de*ducere caestus.*

Cognoscitur hic in rebus parvis Valerii, quod saepius observari potest, mutandi studium. Non vult videri servilis imitator; itaque hic illic variat exemplar, aliter collocat verba repetita, et quae sunt similia, ut imitationem aliquo modo tegat. Val. IV 250 Amycus Pollucem terrere vult his verbis:

„aspice et haec crudis durata volumina tauris."

Eandem terrendi causam habemus Verg. Aen. V 404 sq.:
obstipuere animi: tantorum ingentia septem
terga boum plumbo iniusto ferroque rigebant.

Certo Verg. V 425 „et paribus *palmas* amborum innexuit armis" exemplar fuit huius loci Valeriani

IV 253 sq.: *armis innectere palmas*
dat famulis,

ubi ad similitudinem probandam accedit, quod caestus dicuntur arma. Non idem momentum tribuo his:

Val. IV 267: semper *in digitis* (quod de Polluce dictum est)

Verg. Aen. V 426: constitit *in digitos* extemplo arrectus uterque,

quod hic exemplar fuisse videtur Apollonius Rhodius II 90 sq.:

ἔνθα δ᾽ ἔπειτ᾽ Ἄμυκος μὲν ἐπ᾽ ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς βουτύπος οἷα, ποσσὶ τανύσσατο.

Postremo afferri possunt verba, quae victor Pollux dicit Amyco

Val. IV 312 sqq.: „Pollux ego missus Amyclis, et Jove natus," ait; „*nomen* mirantibus *umbris hoc referes*, sic et memori noscere sepulcro,"

quae ficta esse videntur secundum

Verg. Aen. XI 688 sq.: „*nomen* tamen haut leve patrum *Manibus hoc referes*, telo cecidisse Camillae,"

quamquam apud hunc verba non eodem narrationis connexu occurrunt.

Sic demonstrasse mihi videor non Theocritum, sed Vergilium in describendo Pollucis et Amyci certamine Valerio exemplar fuisse.

Ac tamen Theocriti hymnus in Pollucem etiam ad hanc rem pertinet. Puto enim Vergilium, qui tam studiosus erat Theocriti, ut novo carminum genere eum imitaretur, ne in hoc quidem certamine illum praeteriisse. Sunt quaedam similitudines inter eorum narrationes. Confero

Theocr. XXII 96: *ἀμφοτέρῃσιν ἄμυσσεν ἀμοιβαδίς*

Verg. Aen. V 460:

creber utraque manu pulsat versatque Dareta.

Theocr. XXII 98 sq.: *ἐκ δ᾽ ἔπτυσεν αἷμα φοίνιον.*

Verg. Aen. V 469 sq.:

iactantemque utroque caput crassumque cruorem
ore eiectantem.

Theocr. XXII 123: ἀλλ' ὅγ' ὑπεξανέδυ κεφαλῇ
Verg. Aen. V 445: celerique elapsus corpore cessit.

Theocr. XXII 126: πυκνοὶ δ' ἀράβησαν ὀδόντες
Verg. Aen. V 436: crepitant sub verbere malae.

Concedo sane nullam harum similitudinum tam firmam esse, ut sola imitationem probet. Sed cum intra triginta versus quattuor loci similes occurrant, fieri potest, ut Theocritus Vergilio in animo fuerit. Imitatus igitur est Valerius Vergilium, Vergilius Theocritum, at non Valerius Theocritum.

Jam transeundum est ad poetas Latinos. Atque commemorandum est ex *Ennio* et *Lucretio*, quos saepius secutus est Vergilius, Valerium nihil sumpsisse. Sed omnium Romanorum poetarum, quos respexit Flaccus, antiquissimus est *Vergilius*, qui paene ubique illi ante oculos versatur. Plurima autem Valerius debet *Aeneidi*.

Maxime autem perspicua imitatio est in iis, quae ad ventos tempestatesque ab utroque poeta libro primo descripta pertinent. Jam

Val. I 586 sq.: hinc olim venti soliti *miscere* polumque
infelixque fretum

vox miscendi resipit Vergilium, apud quem legitur

Aen. I 124 sq.: interea magno *misceri* murmure pontum
emissamque hiemem sensit Neptunus.

Aen. I 133 sq.:

iam caelum terramque meo sine numine, venti,
miscere, et tantas audetis tollere moles?

Aen. V 790 sq: maria omnia caelo
miscuit.

Sed sunt etiam multo certiora. In monte Aeolus inclusos tenet ventos et vinclis coërcet

Val. I 591 sqq.:

intonuit — — pavidis ex aethere ventis
omnipotens regemque dedit, quem iussa vereri
saeva cohors: in monte chalybs iterataque muris
saxa domant Euros.

Aen. I 52 sqq.:

Aeoliam venit. hic vasto rex Aeolus antro
luctantes ventos tempestatesque sonoras
imperio premit ac vinclis et carcere frenat.

Altum solium obtinet Aeolus

Val. I 597: nuntius hunc *solio* Boreas proturbat ab *alto*.

Aen. I 56 sq.: *celsa* sedet Aeolus *arce*
sceptra tenens.

Aen. I 139: tenet ille (Aeolus) *immania saxa*.

Inviti parent venti atque fremunt

Val. I 594 sqq.:

cum iam prohibere *frementem*
ora nequit, rex tunc aditus et *claustra* refringit
ipse volens placatque *data* fera *murmura porta*.

Aen. I 55 sq.:

illi indignantes magno cum *murmure* montis
circum *claustra fremunt*.

Ubi rex portam aperuit, omnes venti erumpunt

Val. I 608 sqq.:

Dixerat. at cuncti fremere intus et aequora venti
poscere. tum validam contorto *turbine* portam
impulit Hippotades. fundunt se carcere laeti
Thraces equi Zephyrusque et nocti concolor alas
nimborum cum prole *Notus* crinemque *procellis*
hispidus et multa flavus caput Eurus harena.

Aen. I 81 sqq.:

Haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem
impulit in latus: ac venti velut agmine facto,
qua *data porta*, ruunt et terras *turbine* perflant.

incubuere mari totumque a sedibus imis
una *Eurus*que *Notus*que ruunt creberque *procellis*
Africus et vastos volvunt ad litora fluctus.

Saevam venti carcere liberati afferunt tempestatem, fulgura micant, atra nox obscurat omnia

Val. I 616 sq.: vasto pariter ruit *ign*eus *aether*
cum *ton*itru piceoque premit *nox* omnia caelo.

Aen. I 89 sq.: *ponto nox incubat* atra.
in*ton*uere poli et crebris micat *ign*ibus *aether*.

Satis implicata atque intricata est analysis imitationum, quae sunt in sequentibus Valerii versibus.

I 618 sqq.:
excussi manibus remi conversaque frontem
puppis in *oblicum* resonos *latus accipit ictus,*
vela super tremulum subitus *volitantia malum*
turbo rapit.

Prima enim verba „excussi manibus remi“ occurrunt etiam Aen. IX 476, sed alio narrationis contextu. Insequentes autem versus, quamquam similis in iis est sententia atque in his Vergilianis

Aen. I 104 sq.:
franguntur remi; tum prora avertit et undis
dat latus,

debentur Lucano. Quod non negabit, qui comparaverit hos versus ex eius Pharsalia desumptos

V 593 sqq.: non plura locuto
avulsit laceros, percussa puppe, rudentes
turbo rapax, fragilemque *supervolitantia malum*
vela tulit.

III 627 sq.:
strage virum cumulata ratis multoque cruore
plena, per *obliquum* crebros *latus accipit ictus.*

Post hos versus Valerius redit ad Vergilium, quem in eo sequitur, quod Neptunum ventos facit repellentem

Val. I 640 sqq.: undique fervent
aequora, cum subitus trifida *Neptunus* in hasta
caeruleum *fundo caput extulit*

haud aliter atque Vergilius

Aen. I 124 sqq.:
interea magno misceri murmure pontum
emissamque hiemem sensit *Neptunus* et imis
stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
prospiciens summa placidum *caput extulit unda.*

A Vergilii Aeneide pendere videtur Flaccus atiam in Harpyiarum descriptione. Nam non solum totus tenor idem est, sed etiam in singulis sunt similia. Apud utrumque Celaeno primum tenet locum ingensque Harpyiarum fames praedicatur.

Val. IV 456:
„parque mihi“ (inquit Phineus) „monstrisque fames“

Aen. III 217 sq.: pallida semper
ora fame

et clarus alarum sonus commemoratur

Val. IV 494: unum omnes incessere planctibus

Aen. III 225 sqq.:
at subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas.

Neque deest versus, ubi verba quoque paene eadem sunt

Val. IV 454 sq.:
diripiunt verruntque *dapes foedata*que turbant
pocula

Aen. III 227 sq.:
*diripiunt*que *dapes* contactuque omnia *foedant*
immundo.

Haud magis dubium mihi est, quin Eurynome nocte cum famulis laborans maritoque fida manens apud Valerium

II 136 sqq.:

et primam Eurynomen ac proxima limina Codri
occupat exesam curis *castum*que *cubile*
*servan*tem: manet illa viro *famulasque fatigat*
velleribus, tardi reputant quae tempora belli
ante torum et *longo* mulcent insomnia *penso*

ficta sit secundum

Aen. VIII 407 sqq.:

inde ubi prima quies medio iam Noctis abactae
curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
noctem addens operi, *famulasque* ad lumina *longo*
exercet penso, *castum* ut *servare cubile*
coniugis et possit parvos educere natos.

Apud Valerium Medea draconem, qui vellus aureum custodit, his alloquitur verbis

VIII 75 sqq.:

„te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
tempus ab hac *oculos* tandem *deflectere cura.*
quem metuis me stante dolum? *servabo* parumper
ipsa nemus; longum interea tu *pone* laborem.“

Cui allocutioni apud Vergilium paene ad verbum respondet Somni ad Palinurum

Aen. V 844 sqq.: „datur hora quieti.
pone caput fessosque *oculos furare labori.*
ipse ego paulisper pro te tua *munera inibo.*“

Quae imitatio, quamquam vel per se haud dubia est, fulcitur iis versibus, qui paulo infra sequuntur

Val. VIII 83 sqq.:

contra Tartareis Colchis spumare venenis
cunctaque *Lethaei quassare* silentia *rami*
perstat et adversa luct*antia lumina* cantu

obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
vim Stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.,

qui formati sunt secundum versus Vergilianos paulo post Somni illa verba sequentes

Aen. V 854 sqq.:

ecce deus *ramum Lethaeo* rore madentem
vique soporatum Stygia super utraque *quassat*
tempora cunctantique nat*antia lumina* solvit.

Val. VI 323 sqq. Gesander ad Canthum longiorem habet orationem haud dissimilem ei, quam Aen. IX 598 sqq. Numanus habet ad Troianos. Sed longum est totam orationem afferre. Satis videtur ea ante oculos ponere, in quibus ad argumenti similitudinem accedunt similia verba. Dicit Gesander

Val. VI 335 sqq.:

„numquam has hiemes, haec saxa relinquam
Martis agros, ubi iam *saevo dura*vimus *amne*
progeniem *natos*que rudes, ubi copia leti
tanta viris. sic in patriis bellare pruinis
*praedari*que iuvat, talemque hanc accipe dextram“

et non multo aliter Numanus

Aen. IX 603 sq.:

„durum a stirpe genus *natos* ad flumina primum
deferimus *saevo*que gelu *dura*mus et undis“

et deinde

612 sq.: „semperque recentis
comportare iuvat praedas et vivere rapto.“

Pernota est Vergiliana Famae descriptio, quae, quamquam Homeri Ὄσσα Διὸς ἄγγελος ansam praebuit, Romani poetae solius propria est:

Aen. IV 173 sqq.:

extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,
Fama, malum *qua non* aliud *velocius ullum*:

mobilitate viget viresque adquirit eundo,
parva metu primo, mox sese attollit in auras
ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
illam Terra parens, ira inritata deorum,
extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
progenuit pedibus celerem et pernicibus alis,
monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore plumae,
tot vigiles oculi supter (mirabile dictu),
tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
nocte volat caeli medio terraeque per umbram
stridens, nec dulci declinat lumina somno;
luce sedet custos aut summi culmine tecti
turribus aut altis, et *magnas territat urbes*,
tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.
haec tum multiplici populos sermone replebat
gaudens et pariter fa*cta atque in*fecta *canebat.*

Eandem Famam Valerius sic describit

II 115 sqq.:

cum dea se piceo per sudum turbida nimbo
praecipitat *Famam*que *vagam* vestigat in umbra,
quam pater omnipotens dig*na atque ind*igna *can*entem
spargentemque metus placidis regionibus arcet
aetheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
non erebi non diva poli, terrasque fatigat,
quas datur; audentem primi spernuntque foventque;
mox omnes agit et motis *quatit oppida* linguis.

Apparet in hac descriptione Flaccum multo plura Vergilio debere, quam hic debet Homero. Ac tamen non tam in singulis quam in toto proposito sunt similitudines. Itaque mihi persuasi Valerium aemulari magis quam imitari voluisse exemplar suum. Sed quamvis liber in singulis videri studeat, tamen, si legas Valerii vv. 117 et 120, facile reminiscaris Vergilii vv. 190 et 187. Hoc quo-

que observatione dignum videtur Valerium Aeneidis v. 174 multo posteriore loco imitatum esse

VII 333: haec dicens, *qua non velocior ulla.*

Notum est Famae descriptionem habere etiam Ovidium Met. XII 39 sqq., qui, quamquam in universum sequitur Vergilium, tamen complura suo ingenio invenit. Atque Valerio ne Ovidianam quidem descriptionem ignotam fuisse arbitror, quam in loco destinando (119 sqq.) videtur in animo habuisse. Dicit enim Ovidius

v. 39 sq.:

orbe locus medio est inter terrasque fretumque
caelestesque plagas triplicis confinia mundi.

In hac quoque re fortasse Ovidius agnoscendus est, quod v. 116 Fama dicitur vaga, quod attributum ille maxime ei dat, ut

Met. VIII 267:

sparserat Argolicas nomen *vaga Fama* per urbes.

Cum autem duo sint in descriptione Famae exemplaria, quae compilare potuit Valerius, eo magis laudandum est, eum neutrum serviliter secutum esse.

Flaccum in imitando studere liberum esse intelleges, si comparationem a cometis sumptam, quam iam habet Vergilius

Aen. X 270 sqq.:

ardet apex capiti cristisque a vertice flamma
funditur et vastos umbo vomit aureus ignis:
non secus ac liquida siquando nocte *cometae*
sanguinei lugubre rubent aut *Sirius* ardor.

contuleris cum comparatione Valeriana

VI 603 sqq.:

ora sub excelso iandudum vertice coni
saeva micant cursuque ardescit nec tibi, Perse,
nec tibi, virgo, iubae laetabile sidus Achivae:
acer ut autumni *canis* iratoque vocati
ab Jove fatales ad regna iniusta *cometae.*

Idem quadrare videtur in hunc locum

Val. VIII 447 sqq.: sic fata parantem
reddere dicta virum furiata mente refugit
vociferans. qualem Ogygias cum tollit in arces
*Bacch*us et Aoniis inlidit *Thyiada* truncis;
talis erat talemque iugis se virgo ferebat
cuncta pavens.,

cuius exemplar esse censeo hunc locum Vergilianum

Aen. IV 300 sqq.:
saevit inops animi totamque incensa per urbem
*bacch*atur, qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

Ex eadem enim re diversis quidem verbis comparatio desumpta est.

Alia comparatio utrique poetae communis haec est:

Val. VI 419 sqq.: ac forma necis non altera surgit,
quam *cervos* ubi non *Umbro venator* edaci,
non *pinna* petit, haerentes sed cornibus altis
invenit et caeca constrictos excipit ira.

Aen. XII 749 sqq.:
inclusum veluti siquando flumine nanctus
cervom aut puniceae saeptum formidine *pinnae*
venator cursu canis et latratibus instat;
ille autem, insidiis et ripa territus alta,
mille fugit refugitque vias; at vividus *Umber*
haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
increpuit malis morsuque elusus inani est.

Sunt in his quidem etiam complura verba communia, sed non magnam vim iis tribuo, quod poeta, si semel idem argumentum reddere volebat, haec verba vitare vix poterat. Ac tamen totam comparationem, quae, quantum scio, nisi apud Valerium et Vergilium non occurrit, huic deberi vix quisquam negabit.

Quae apud Valerium legimus de Jasone et Hypsipyle, in memoriam revocant ea, quae Vergilius narrat de Aenea et Didone, quamquam hic quoque similitudo non tam in singulis quam in tota dispositione et materie posita est. Unum tantum argumentum satis grave affero. Cum Jason insulam relicturus est, dicit Hypsipyle

Val. II 422 sqq.:

„i, memor i terrae, quae vos amplexa quieto
prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
vela per hunc utero quem linquis Jasona nostro.",

quae verba poeta ita formasse videtur memor Didonis apud Vergilium verborum

Aen. IV 327 sqq.:

„saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
ante fugam *suboles*, siquis mihi parvolus aula
luderet *Aeneas*, qui te tamen ore referret,
non equidem omnino capta ac deserta viderer.",

quibuscum apud Flaccum haec quoque Hypsipyles verba conferri possunt

III 316 sqq.:

„primis coniunx ereptus in annis
cuncta trahis; necdum *suboles* nec gaudia de te
ulla mihi, quis maesta tuos nunc, optime, casus
perpeterer tenui luctum solamine fallens."

Quomodo Aeetes rex in templo sedens populo aequa mente ius dicere soleat, Jason sic narrat

Val. V 403 sqq.:

„Phoebi genitoris" (Jason) „ad aras
ventum" ait. „Huc adytis iam se de more paternis
rex feret; hic proceres audit populosque precantes
adloquiis facilis: praesens pater admonet aequi."

Cui hic non in mentem veniat simillimae Vergilianae de Didone narrationis

Aen. I 505 sqq.:

tum (Dido) foribus divae, media e testudine templi
saepta armis solioque alte subnixa resedit.
iura dabat legesque viris operumque laborem
partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

Duo vaticinia apud Valerium Argonautis dantur, alterum ferum atque atrox Mopsi vatis (I 211 sqq.), alterum Idmonis, qui mitissime respondet (I 234 sqq.). Simile discrimen apud Vergilium est inter mitem vaticinationem Heleni (III 374 sqq.) et feram Sibyllae (VI 83 sqq.).

Minerva quoque fulmen iactans

Val. IV 670 sq.:

prima coruscanti signum dedit aegide virgo
fulmineam *iaculata* facem

deberi videtur Vergilio

Aen. I 42 sq.:

ipsa Jovis rapidum iaculata e nubibus ignem
disiecitque rates evertitque aequora ventis.

Fortasse etiam Valerius, cum scriberet

IV 184 sq.:

respicias quibus adverso sub vulnere nulla
iam facies *nec nomen* erat.,

reminiscebatur Vergilii

Aen. II 557 sq.: iacet ingens litore truncus
avolsumqe umeris caput et *sine nomine* corpus.

Utroque enim loco vox, quae est „nomen“, raram habet significationem. Homo sine nomine est homo adeo deformatus, ut, quis sit, cognosci non possit.

Similiter de rogo dicunt poetae

Val. III 347 sqq.:

inde *ter* armatos Minyis referentibus orbes
concussi tremu*ere rogi; ter* inhorruit aether
luctificum clangente tuba.

Verg. Aen. XI 188 sqq.:

ter circum accensos cuncti fulgentibus armis
decurr*ere rogos*, *ter* maestum funeris ignem
lustravere in equis ululatusque ore dedere.

Atque accedit hic ad argumenti similitudinem eiusdem vocis „ter" epanaphora.

Conferri quoque potest haec scaena Valeriana

II 167 sqq.:

tum voce deos, tum questibus implent,
oscula iamque toris atque *oscula post*ibus ipsis
ingeminant lacrimisque iterum visuque morantur

cum hac Vergiliana

Aen. II 489 sq.:

tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
amplexaeque tenent *postes* atque *oscula* figunt.

Mirum videtur Hippasum in pugna, ne spectetur, caput in aureum cratera condere

Val. I 147 sq.: adclinisque tapetis
in mediis vacuo condit caput Hippasus auro.

Sed similia Vergilius narrat de Rhoeto

Aen. IX 346:

sed magnum metuens se post cratera tegebat.,

qui non in cratera quidem, sed post eum se abdit. Aberrat hic Flaccus, cum exemplar velit superare, paulum a vero atque mira refert.

Sed est locus, quo argumentis paene potest demonstrari Valerium memorem fuisse Vergilii. Commemorat enim ille (I 36) duos tauros ab Hercule esse necatos, quod arbitror non aliter posse explicari nisi ita, ut Acheloum et taurum Cretensem credamus ab illo esse interfectos. Sed alias taurus Cretensis non ab Hercule occiditur, sed apud Marathonem accepto ab hac urbe nomine terras vastat et postea a Theseo necatur. Solus Vergilius

Aen. VIII 294 sq.: tu Cresia mactas
prodigia

eundem mythum de tauro Cretensi ab Hercule interfecto affert. Quid igitur verisimilius est quam Valerium, ut saepe, hoc quoque loco sequi Vergilium?

Hic aptissime adduntur complures loci Valeriani, quibus similes non solum apud Vergilium sed etiam apud Homerum inveniuntur; atque quaerendum est, utrum poetam Flaccus his locis videatur imitatus esse.

Ac primum quidem commemoranda est longa series comparationum, quarum maxima pars in sexto Argonauticorum libro exhibetur. Ex his est

Val. VI 353 sqq.: *magno* veluti cum turbine sese
ipsius Aeoliae frangunt in limine *venti*,
quem pelagi rabies, quem *nubila*, quemque sequatur
ille dies; *obnixa* virum sic comminus *haeret*
pugna nec arrepto velli de corpore possunt.

Eadem comparatio apud Vergilium sic legitur

Aen. X. 356 sqq.: *magno* discordes aethere *venti*
proelia ceu tollunt animis et viribus aequis
(non ipsi inter se, non *nubila*, non mare cedit;
anceps *pugna* diu, stant obnixa omnia contra):
haut aliter Troianae acies aciesque Latinae
concurrunt; *haeret* pede pes densusque viro vir.,

apud Homerum ita

Il. XVI 765 sqq.:
ὡς δ᾽ Εὖρός τε Νότος τ᾽ ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πελεμιζέμεν ὕλην,
φηγόν τε μελίην τε τανύφλοιόν τε κράνειαν,
αἵ τε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζους,
ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων,
ὣς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι θορόντες
δῄουν, οὐδ᾽ ἕτεροι μνώοντ᾽ ὀλοοῖο φόβοιο.

Conferenti hos tres locos similes quidem inter se dubium arbitror esse non posse, quin Valerius Vergilium potius, quocum complura verba, tria vel eodem versus

loco, communia habet, quam Homerum imitatus sit, quocum in singulis quidem vix quidquam habet similitudinis.

Haud aliter iudicandum puto de his locis:

Val. VI 524 sqq.:

nec levior comitatur Aron, horrentia cuius
discolor arma super squalentesque aere lacertos
barbarica *chlamys* ardet acu tremefactaque vento
implet equum; *qualis* roseis it *Lucifer* alis,
quem Venus inlustri gaudet producere caelo.

Aen. VIII 585 sqq.:

iamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Aeneas inter primos et fidus Achates,
inde alii Troiae proceres, ipse agmine Pallas
in medio, *chlamyde* et pictis conspectus in armis:
qualis ubi Oceani perfusus *Lucifer* unda,
quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.

Il. V init.:

*ἔνϑ᾽ αὖ Τυδεΐδῃ Διομήδεϊ Παλλὰς Ἀϑήνη
δῶκε μένος καὶ ϑάρσος, ἵν᾽ ἔκδηλος μετὰ πᾶσιν
Ἀργείοισι γένοιτο ἰδὲ κλέος ἐσϑλὸν ἄροιτο.
δαῖέ οἱ ἐκ κόρυϑός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
ἀστέρ᾽ ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.
τοῖόν οἱ πῦρ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε καὶ ὤμων.*

Ne hic quidem certari potest, utrum poetarum Flaccus secutus sit, eum, quocum non solum in re sed etiam in verbis ita concinit, ut complura verba apud utrumque, nonnulla eodem versus loco legantur, Vergilium, an eum, qui rem quodam tantum modo similem, verba dissimilia habet, Homerum.

Propter magnitudinem apud Valerium Jason confertur cum Caucaso

VI 609 sqq.:

nec sua Crethiden latuit dea vimque recentem
sentit agi membris ac se super agmina tollit;
quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
Caucasus et summas abiit hibernus in arctos.

Non multo aliter Vergilius Aeneam confert cum Atho vel Eryce vel Apennino

Aen. XII 697 sqq.:

at pater Aeneas audito nomine Turni
deserit et muros et summas deserit arces
praecipitatque moras omnis, opera omnia rumpit,
laetitia exultans, horrendumque intonat armis:
quantus Athos aut quantus Eryx aut ipse coruscis
cum fremit ilicibus quantus gaudetque nivali
vertice se attollens pater Appenninus ad auras.

Atque tota comparationis forma imitationem haud veri-dissimilem reddit. Sed vix conferri potest Homerica, quae exstat, eiusmodi comparatio

Il. XIII 754 sq.:

ἦ ῥα, καὶ ὡρμήθη ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς,
κεκληγώς, διὰ δὲ Τρώων πέτετ᾽ ἠδ᾽ ἐπικούρων.

Addit Valerius comparationem de leone esuriente atque in stabulis saeviente

VI 613 sq.:

tunc vero, stabulis qualis leo saevit opimis
luxurians spargitque famem mutatque cruores.

Vergilius duas similes habet comparationes, alteram breviorem

Aen. IX 399 sqq.:

impastus ceu plena leo per ovilia turbans
(suadet enim vaesana fames) manditque trahitque
molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento.,

alteram ampliorem

Aen. X 722 sqq.:

impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans
(suadet enim vaesana fames), *si forte* fugacem
conspexit capream aut surgentem in cornua cervom,
gaudet, hians immane, comasque arrexit et haeret
visceribus super incumbens, lavit improba taeter
ora cruor.

Atque hoc quidem loco accuratius sequitur Homerum, qui haec habet

Il. III 23 sqq.:

ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα
πεινάων.

At Valerius neque Latinum neque Graecum poetam est imitatus sicut omnibus locis, quibus Vergilius accuratius vertit Homerum. Iis locis Flaccus tam liberum se gerit, ut eum hunc vel illum in animo habuisse non facile contendas.

Hoc quadrat in has quoque comparationes Homericas

Il. XII 299 sqq.:

βῆ ῥ᾽ ἴμεν ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, ὅς τ᾽ ἐπιδευὴς
δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ
μήλων πειρήσοντα καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·
εἴ περ γάρ χ᾽ εὕρῃσι παρ᾽ αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα,
οὔ ῥά τ᾽ ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι,
ἀλλ᾽ ὅ γ᾽ ἄρ᾽ ἢ ἥρπαξε μετάλμενος ἠὲ καὶ αὐτὸς
ἔβλητ᾽ ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.
ὥς ῥα τότ᾽ ἀντίθεον Σαρπήδονα θυμὸς ἀνῆκεν
τεῖχος ἐπαΐξαι διά τε ῥήξασθαι ἐπάλξεις.

Il. XII 41 sqq.:

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων·
οἱ δέ τε πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες

ἀντίον ἵστανται, καὶ ἀκοντίζουσι θαμειὰς
αἰχμὰς ἐκ χειρῶν· τοῦ δ' οὔποτε κυδάλιμον κῆρ
ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἀγηνορίη δέ μιν ἔκτα·
ταρφέα τε στρέφεται στίχας ἀνδρῶν πειρητίζων·
ὅππῃ τ' ἰθύσῃ, τῇ τ' εἴκουσι στίχες ἀνδρῶν·
ὣς Ἕκτωρ ἀν' ὅμιλον ἰὼν ἐλλίσσεθ' ἑταίρους.,

quibus haud dissimilem praebet Vergilius

Aen. IX 551 sqq.:

ut fera, quae densa venantum saepta corona
contra tela furit seseque haut nescia morti
inicit et saltu supra venabula fertur,
haut aliter iuvenis medios moriturus in hostis
inruit et, qua tela videt densissima, tendit.

Sed comparatio Valeriana

I 757 sqq.:

quam multa leo cunctatus in arta
mole virum rictuque genas et lumina pressit,
sic curae subiere ducem, ferrumne capessat
imbelle atque aevi senior gestamina primi,
an patres regnique acuat mutabile vulgus.

vix conferri potest, cum prorsus alia occasione occurrat tertiumque, quod dicimus, comparationis plane aliud sit.

Idem observari potest Il. XIII 136 sqq., ubi Hector in Graecos invehens illustratur hac comparatione:

Τρῶες δὲ προύτυψαν ἀολλέες, ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ
ἀντικρὺ μεμαώς, ὀλοοίτροχος ὣς ἀπὸ πέτρης,
ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ,
ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης·
ὕψι ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
ὕλη· ὁδ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, εἷος ἵκηται
ἰσόπεδον· τότε δ' οὔτι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ.
ὣς Ἕκτωρ εἵως μὲν ἀπείλει μέχρι θαλάσσης
ῥέα διελεύσεσθαι κλισίας καὶ νῆας Ἀχαιῶν
κτείνων.,

quam Vergilius paene ad verbum ita vertit
Aen. XII 684 sqq.:

ac veluti montis saxum de vertice praeceps
cum ruit avolsum vento, seu *turbidus imber*
proluit aut annis solvit sublapsa vetustas;
fertur in abruptum magno mons improbus actu
exsultatque solo, silvas armenta virosque
involvens secum: disiecta per agmina Turnus
sic urbis ruit ad muros.

Sed Valerius liberius eam ita transformat
VI 631 sqq.:

ille volat campis immensaque funera miscet
per cuneos, velut hiberno proruptus ab arcu
imber agens scopulos nemorumque operumque ruinas,
donec ab ingenti bacchatus vertice montis
frangitur inque novum paulatim deficit amnem.

Neque aliter iudico de hac comparatione Valeriana
III 90 sqq.:

sic contextis umbonibus urguent,
caeruleo veluti cum Juppiter agmine nubem
constituit; certant zephyri frustraque rigentem
pulsat utrimque notus; pendent mortalia longo
corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.

collatis his comparationibus
Aen. XII 451 sqq.:

qualis ubi ad terras abrupto sidere *nimbus*
it mare per medium (miseris heu praescia longe
horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
arboribus stragemque satis, ruet omnia late):
ante volant sonitumque ferunt ad litora venti:
talis in adversos ductor Rhoeteïus hostis
agmen agit.

Il. IV 275 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς.

τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα
φαίνετ' ἰὸν κατὰ πόντον, ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν.
ῥίγησέν τε ἰδών, ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα·
τοῖαι ἅμ' Αἰάντεσσι διοτρεφέων αἰζηῶν
δήιον ἐς πόλεμον πυκιναὶ κίνυντο φάλαγγες
κυάνεαι, σάκεσίν τε καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι.

Comparationem de fluctibus habet Valerius VII 581 sqq.: aequora non sic
in scopulos irata ruunt eademque recedunt
fracta retro.,

quam Bussenius*) confert cum his:

Aen. VII 528 sqq.:
fluctus uti primo coepit cum albescere vento,
paulatim sese tollit mare et altius undas
erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.

Il. IV 422 sqq.:
ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος·
πόντῳ μέν τε πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
κυρτὸν ἰὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην·
ὣς τότ' ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες
νωλεμέως πόλεμόν δε.

Etiam leviter inspicientem fugere non potest Vergilium Homeri vestigia premere. At quid Valerio cum his commune sit, equidem invenire non possum.

Extrema, quam apud Valerium reperimus, comparatio est de columba magno cum timore fugiente

VIII 32 sqq.:
ecce autem pavidae virgo de more columbae,
quae super ingenti circumdata praepetis umbra

---

*) O. Bussenius De Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu. Progr. gymn. Luebeck. anni 1872. et diss. inaug. Jen.

in quemcunque tremens hominem cadit; haut secus illa
acta timore gravi mediam se misit.

Similes comparationes sunt

Aen. XI 718 sqq.:

haec fatur virgo et pernicibus ignea plantis
transit ecum cursu frenisque adversa prehensis
congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:
quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
consequitur primis sublimem in nube columbam
comprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis:
tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.

Il. XXII 138 sqq.:

Πηλεΐδης δ' ἐπόρουσε ποσὶ κραιπνοῖσι πεποιθώς.
ἠύτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν,
ῥηιδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν.
ἡ δέ θ' ὕπαιθα φοβεῖται, ὁ δ' ἐγγύθεν ὀξὺ λεληκὼς
ταρφέ' ἐπαΐσσει, ἑλέειν τέ ἑ θυμὸς ἀνώγει·
ὣς ἄρ' ὅ γ' ἐμμεμαὼς ἰθὺς πέτετο, τρέσε δ' Ἕκτωρ
τεῖχος ὕπο Τρώων, λαιψηρὰ δὲ γούνατ' ἐνώμα.

Hic quoque Flaccus videtur neque a Vergilio neque ab Homero pendere. Apud illum enim timor fugientis comparatur cum timore columbae, quam persequitur accipiter, at apud hos furor persequentis confertur cum furore accipitris, quem timide fugit columba. Columbae igitur commemoratio apud illum primaria, apud hos secundaria est. Quamquam igitur Valerius locum Vergilianum vel Homericum vel ambos noverat, tam libere iis usus est, ut imitatio eorum, si imitatio appellari debet, honori magis quam dedecori ei sit.

Eandem libertatem Valerius servavit, ubi comitatum Veneris describit

II 204 sqq.: adcelerat Pavor et Geticis Discordia demens
e stabulis atraeque genis pallentibus Irae
et Dolus et Rabies et Leti maior imago.,

qui locus adumbratus est secundum

Aen. XII 335 sq.: circumque atrae Formidinis ora
Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.

et Il. IV 439 sqq.:

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
δεῖμός τ᾽ ἠδὲ φόβος καὶ ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα,
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε.

Flaccus comitatum, qui ab Homero et Vergilio Marti datur, tribuit eius coniugi. Deinde numerum comitum, quem Vergilius servaverat, duplicat atque ita, ut tres Martis comites a Vergilio memoratos coniungat cum tribus ab Homero appellatis, sed pro Formidine, *Δείμῳ, Φόβῳ*, qui non valde inter se diversi sunt, unum ponat Pavorem et novos duos addat Rabiem et Letum. Secutus igitur hoc loco est utrumque poetam, sed non ita, ut liber esse desineret.

Maxime idoneus, ex quo Valerii in Vergilio Homeroque imitando modus atque ratio cognoscatur, est is locus, quo Telamon sic iurans inducitur

Val. III 707 sqq.:

„hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
quae neque iam *frondes* virides nec proferet *umbras*,
ut *semel est evulsa iugis* ac *matre perempta*
fida ministeria et duras obit horrida pugnas,
testor et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
saepe metu, saepe in tenui discrimine rerum
Herculeas iam serus opes spretique vocabis
arma viri, nec nos tumida haec tum dicta iuvabunt."

Legentes hos versus statim reminiscimur iurisiurandi, quod Vergilius Latinum facit Aeneae dantem

Aen. XII 206 sqq.:

„ut *sceptrum hoc* (dextra sceptrum nam forte gerebat)
numquam fronde levi fundet virgulta nec *umbras*,
cum *semel* in *silvis* imo de stirpe *recisum*

matre caret posuitque comas et bracchia ferro,
olim arbos, nunc *artificis manus* aere decoro
inclusit patribusque dedit gestare Latinis."

et eius, quod iuraut Achilles

Il. I 234 sqq.:

„ναί μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
οὐδ' ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψεν
φύλλα τε καὶ φλοιόν· νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται· ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος."

Vergilius Homerum secutus sceptrum quoque ex Iliade desumit, sed sentit in hac re aliquid esse offensionis. Itaque addit „dextra sceptrum nam forte gerebat." At Valerius, id quod ad res narratas melius quadrat, pro sceptro ponit hastam atque hac in re differt et a Vergilio et ab Homero. Ceterum Vergilium tantum sequitur.

Idem, quod ex hoc ampliore exemplo cognosci potest, in hac una sententia apparet

Val. III 715 sq.:

talibus Aeacides socios terroribus urguens
inlacrimat *multa*que *comas deformat harena.*

Aen. X 844 sq.:

canitiem multo deformat pulvere et *ambas*
ad caelum tendit *palmas* et corpore inhaeret.

Il. XVIII 23 sq.:

ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.

Vergilius versus suos secundum Homericos adumbravit; at Valerius non Graecum poetam, sed Latinum sequitur.

Notissimus est Homeri navium catalogus, cui praemittit hanc Musarum advocationem

Il. II 484 sqq.:

ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα,

ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν,
οἵ τινες ἡγεμόνες Δαναῶν καὶ κοίρανοι ἦσαν.
πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.,

quam imitatur Vergilius

Aen. VII 641 sqq.:

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
qui bello *exciti reges*, quae quemque secutae
complerint campos acies, quibus Itala iam tum
floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
et meministis enim, divae et *memorare* potestis:
ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.,

quocum, si perfectam atque accuratam Homeri optas imitationem, conferendum est

Aen. VI 625 sqq.:

non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas,
omnia poenarum *percurrere nomina possim.*

et Georg. II 42 sqq.:

non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox.

Valerius heroum catalogo haec praemittit

VI 33 sqq.:

Hinc age Rhipaeo quos videris orbe furores,
Musa, mone; quanto Scythiam molimine Perses
concierit, quis fretus equis per bella virisque.
verum ego nec numero *memor*em nec *nomine* cunctos
mille vel *ora* movens; neque enim plaga gentibus ulla
ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
Marte cadat, pingui nunquam tamen ubere defit,
quod geminas arctos, magnumque quod impleat anguem.
ergo duces solasque, deae, mihi promite gentes.

Hic quoque primum elucet Valerii libertas, qui multa addat, quae neque apud Vergilium neque apud Homerum inveniantur, multa quoque omittat, quae Vergilius ad verbum ex Homero in Latinum verterat. Ac tamen ei similes illi Homeri et Vergilii loci ignoti fuisse non possunt. Sed utrum eorum accuratius secutus sit, diiudicare non audeo. Superare voluit, ut mihi videtur, utrumque, id quod vel ex re prorsus extranea intellegi potest. Homerus dixerat se sine Musarum ope ne decem quidem oribus totam multitudinem afferre posse. Decemplicem numerum effecerat Vergilius. Sed Valerio ne centum quidem ora satis sunt; itaque scribit „mille vel ora movens."

Homerus amplissimis verbis Il. XIV 187 sqq. narrat, quomodo Juno ad Venerem ierit eique persuaserit, ut cingulum sibi det, in quo omnes amoris artes continebantur. Eandem rem non minus verbose explicat Vergilius Aen. IV 89 sqq. Multo brevius — atque in hac re liberum se praebet — idem narrat Valerius VI 455 sqq. Hic quoque Homeri et Vergilii narratio Flacco non ignota erat, sed in singulis paulum tantum commune est, et dubium esset, uter potius in scribendo Valerio in animo versaretur, nisi v. 467:

sensit diva *dolos*

demonstraret Vergilium esse exemplar. Quod enim sentit apud Flaccum Venus dolos Junonis, concinit poeta cum Vergilio, qui haec habet

Aen. IV 105: *sensit* enim simulata mente locutam.
VI 127 sq.: non adversata petenti
adnuit atque *dolis* risit Cytherea repertis.

At apud Homerum nihil eiusmodi invenitur. Apparet igitur in hac re Valerium Vergilium tantum sequi potuisse.

Apud Homerum saepius occurrit ea opinio, priores homines multo robustiores fuisse quam eos, qui nunc sint;

et semper hoc commemoratur in saxi magnitudine describenda, ut

Il. V 304 sqq.:

ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρί
Τυδεΐδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

Il XII 445 sqq.:

Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων
ἑστήκει πρόσθε, πρυμνὸς παχύς, αὐτὰρ ὕπερθεν
ὀξὺς ἔην· τὸν δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω
ῥηιδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν,
οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

Eandem opinionem eadem occasione similibus verbis profert Vergilius

Aen. XII 804 sqq.:

nec plura effatus saxum circumspicit ingens,
saxum anticum ingens, campo quod forte iacebat,
limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
vix illud lecti bis sex cervice subirent,
qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Valerius idem sic exprimit

VI 648 sqq.: saxumque prehensum,
illius et dextrae gestamen et illius aevi,
concussa molitur humo, quod regia Juno
flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.

Suo ingenio Flaccum hoc invenisse vix credas, sed utrum poetam imitatus sit, non diiudicaverim, cum verba eius ab utriusque verbis aeque diversa sint, brevitate autem orationis uterque a Valerio valde superetur.

Hi sunt loci, quibus Valerio licebat et Homerum et Vergilium imitari. Vidimus autem eum aut Vergilium tantum sequi aut tam liberum se gerere, ut, utrum secutus sit, diiudicari non possit. Uno tantum loco, ut iam supra commemoratum est, non Vergilius, sed Homerus exemplar fuit.

Attuli adhuc ex Aeneidis imitationibus eas, quae propter rerum narratarum vel argumenti similitudinem statuendae videbantur. Atque sunt hi loci maxime idonei, quibus imitatio verisimilis reddatur. Multo minus momenti habent ii, quibus eadem vel similia verba occurrunt; sed, si accedunt ad locos iam allatos, tamen aliquid probare possunt.

Plurimae autem verborum similitudines in fine versus inveniuntur. In his sunt

Val. I 784: — ◡ ◡ — — — *primis* stant *faucibus Orci.*
Aen. VI 273: — ◡ ◡ — — — *primis* in *faucibus Orci.*

Val. III 38: — ◡ ◡ *ipse ratem* vento stel*lisqe ministrat.*
Aen. VI 302: *ipse ratem* conto subigit ve*lisqe ministrat.*

Val. IV 407 sq.:
ast Erebi virgo ditem volat aethere Memphim
praecipere et Pharia *venientem pellere terra.*

Aen. X 276 sq.:
haud tamen audaci Turno fiducia cessit
litora *praecipere et venientis pellere terra.*

Val. V 243: currere per *summi* fulgor *laquearia tecti*
Aen. VIII 25: erigitur *summi*que ferit *laquearia tecti*

Val. VIII 55: — ◡ ◡ ille haeret comes *et miseratur euntem*
Aen. VI 476: prosequitur lacrimis longe *et miseratur euntem.*

Val. III 33: et iam prona leves spargebant *sidera somnos*
Aen. II 9: — ◡ ◡ — suadentque cadentia *sidera somnos,*

ubi similia attributa „prona“ et „cadentia“ dantur sideribus. His quidem locis puto non facile quemquam de imitatione dubitaturum esse; nec magis his:

Val. I 55: tu, cui iam *curaeque* vigent *animique viriles*
Aen. IX 311: ante annos *animumque* gerens *curamque virilem,*

ubi argumentum iam supra vidimus a Pindaro esse petitum, at verba Vergilio debentur,

Val. II 209: *hic aliud* Venus et *multo magis* ipsa *tremendum*
Aen. II 199 sq.: *hic aliud* maius miseris *multo*que *tremendum*
obicitur *magis*

Val. III 237: — ᴗ ᴗ — *audit* fr*emitus irasque leonum*
Aen. VII 15: hinc ex*audiri gemitus iraeque leonum*

Val. IV 1: atque ea non *oculis* divum *pater* amplius *aequis*
Aen. IV 371 sq.: — — — ᴗ ᴗ — iamiam nec maxima Juno
nec Saturnius haec *oculis pater* aspicit *aequis*

Val. VI 115: — ᴗ eum Scythiae iam *tertia viderat aetas*
Aen. I 265: *tertia* dum Latio regnantem *viderit aestas*

Val. V 601: nec requies, quin Marte *diem noctemque fatigat*
Aen. VIII 94: olli remigio *noctemque diemque fatigant*,

quamquam verba communia non semper eundem tenent locum vel eodem casu occurrunt. Atque ultimo loco accedit, quod in verbo fatigandi est metaphora, quam amat Valerius; cf. V 141 arma fatigant, II 120 terrasque fatigant, III 21 *silvasque fatigat*, quod in memoriam revocat Vergilianum (Aen. IX 605) *silvasque fatigant*.

Non idem momentum habent, sed tamen non neglegendi videntur hi loci:

Val. III 125: — ᴗ ᴗ turbata Phlegyas *decurrit ab arce*
Aen. II 41: Laocoon ardens summa *decurrit ab arce*

Val. III 526: — ᴗ ad obscurae decurrens *cingula mammae*
Aen. I 492: aurea subnectens exsertae *cingula mammae*

Val. III 630 sq.: nec minus in sese generis, *dextrasque potentes*
esse ferunt
Aen. VII 234: fata per Aeneae iuro *dextramque potentem*

Val. VI 716: — ᴗ ᴗ — magnaque evulsam *tendit harena*

Aen. V 374: —◡◡— fulva moribundum ex*tendit harena*
IX 589: —◡◡— multa porrectum ex*tendit harena.*

Sunt hae quidem versus conclusiones tales, quales unusquisque poeta sine exemplari possit formare, sed tamen non sunt usitatissimae. Fortasse nonnemo his quoque locis imitationem statuet, imprimis extremo, ubi idem versus exitus bis apud Vergilium occurrens eo facilius in Flacci memoria haerere potuit.

Eundem locum Vergilianum

Aen. I 717 sq.: ———◡◡ haec *oculis*, haec *pectore toto haeret*

Valerius bis, sed diversum in modum imitatus est

VI 658: persequitur lustrans *oculis*que ardentibus *haeret*
et VI 673 sq.: sed facibus, sed mole dei, quem *pectore toto* iam tenet.

Quod eo facilius fieri potuit, quod versus Valeriani haud ita magno intervallo seiunguntur.

Idem statuendum est in his versibus Vergilianis

Aen. I 494 sq.: *haec* dum Dardanio Aeneae *miranda* videntur,
dum *stupet* optutuque *haeret defixus in uno*,

quos imitatus est Valerius duobus locis magno intervallo disiunctis

I 149: *haec* quamquam *miranda* viris *stupet* Aesone natus
et V 376 sqq.: —◡◡ insolito *stup*uit duce: nec minus inter
ille tot ignoti socias gregis *haeret in una defixus.*

Certae imitationes hae quoque sunt:

Val. II 594 sq.: ———◡◡— *fatis*que simillima *nostris fata* ferunt

Aen. VII 293 sq.: ————— *fatis* contraria *nostris fata* Phrygum

---

Val. IV 659 sq.: —◡◡———— adver*saque saxis saxa* dedit

Aen. II 608 sq.: —◡◡— — — — — avol*saque saxis*
saxa vides.

Accedit enim, quod eadem figura rhetorica, *ἐπαναφορά* quae dicitur, iisdem versuum locis in iisdem vocibus occurrit.

Valerium, cum scriberet

IV 752: —◡◡— *bello*ne magis laetarer *et armis*,

recordatum esse Vergilii propterea verisimile arbitror, quod apud hunc ter idem exitus „et armis" antecedente voce „bello" invenitur

Aen. I 545: nec pietate fuit nec *bello* maior *et armis*
IV 615: at *bello* audacis populi vexatus *et armis*
VII 235: sive fide seu quis *bello* est expertus *et armis.*

Duobus versibus

Val. I 266: —◡◡—◡◡— *ventos*que optare *ferentes*
et VI 327: —◡◡— *ventos* opus exspectare *ferentes*

poeta memor fuisse videtur huius versus Vergiliani

Aen. III 473: — — — fieret *vento* mora nequa *ferenti.*

Nam verbum ferendi singulari cum significatione (günstig wehen) positum est.

Neque negaverim imitationem

Val. II 93: *alternos* aegro cunctantem poplite *gressus*
Aen. XII 386: *alternos* longa nitentem cuspide *gressus*

cum propter initium et finem versus prorsus eadem tum propter rhythmum eundem, quo clarissime lentus incessus pingitur. Haud facile enim inveniatur alterum par versuum tam aeque structorum.

Multo minus certa est imitatio hoc versu

Val. VI 174: —◡◡—◡◡— quam nec dea lassat *habendo*
Aen. XII 88: — — — — — ◡◡— simul aptat *habendo*,

quamquam non ita verisimile putaverim casu factum esse, ut uterque poeta eiusdem verbi forma satis rara in fine versus uteretur.

Sub finem versus clara imitatio est

Val. VII 452: *si* tamen aut superis *aliquam spem ponis*
◡ — ◡̄ (sequitur lacuna)
Aen. II 676: *sin aliquam* expertus sumptis *spem ponis*
in armis

Val. IV 4: ut nova nunc *tacito* se *pect*ore *gaudia* tollunt
Aen. I 502: Latonae *tacit*um pertemptant *gaudia pect*us

Val. I 571 sqq.:
— ◡ ◡ — placida (fax) et mediis in frontibus haesit
protinus amborum *lumen*que *innoxia fund*it
purpureum
Aen. II 681 sqq.:
namque manus inter maestorumque ora parentum
ecce levis summo de vertice visus Iuli
*fund*ere *lumen* apex tactuque *innoxia* mollis
lambere flamma comas et circum tempora pasci.,

ubi accedit sententiae similitudo, quae praecipue probat imitationem his duobus locis:

Val. I 256:
clamantemque *patri* procul os*tendebat* Achillem
Aen. II 674: — — — parvomque *patri tendebat* Iulum

Val. II 223: — ◡ ◡ — quosdam insomnes *et cuncta* tuentes
Aen. IX 345:
— — — Rhoetum vigilantem *et cuncta* videntem,

ubi verba communia synonymis cinguntur.

Duobus locis praeter pedem quintum ea vox, quae caesuram sequitur, communis vel similis est:

Val. III 588:
lancea sanguineus || *vasto* leo *murmure* fertur
Aen. I 245:
unde per ora novem || *vasto* cum *murmure* montis

Val. IV 589:
proxima regna Lyci || *remeat* qui *victor* ab oris
Aen. II 95:
si patrios unquam || *remeass*em *victor* ad Argos.

Neque dubitaverim de imitatione

Val. VIII 263:

concutiens diramque *premens clamore* sororem

Aen. I 324:

aut spumantis apri cursum *clamore prementem*

propter metaphoram satis raram, quae est in verborum connexione „clamore premere".

Eadem de causa de imitatione cogitaverim

Val. VI 711: — — — ◡ ◡ — — fertilis *ubere terrae*

Aen. I 531: — — — ◡ potens armis atque *ubere glaebae*, ubi „terrae" et „glaebae" sunt synonyma.

Unum tantum verbum par est

Val. I 9: Oceanus Phrygios prius *indignatus* Iulos

Aen. VIII 728: — ◡ ◡ — ◡ ◡ — pontem *indignatus* Araxes, sed eadem prosopopoeia, qua aquae datur ea qualitas, quae re vera homini tantum vel aquae deo tribui potest, verisimilem reddere videtur imitationem.

Initio quoque versus similitudines non rarae sunt. Atque sunt in his, ubi vix quisquam dubitabit, quin Valerius respexerit Vergilium, ut

Val. II 650 sq.:

sic memorat laetosque rapit, *simul* hospita pandi
tecta iubet *templis*que sacros largitur *honores*.

Aen. I 631 sq.: *sic memorat, simul* Aenean in regia ducit
tecta, simul divom *templis* indicit *honorem*.

Val. I 723 sq.: — ◡ ◡ — *sunt hic etiam tua* vulnera, praedo,
sunt lacrimae carusque parens

Aen. I 461 sq.: — ◡ ◡ — *sunt hic etiam sua* praemia laudi,
sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt

Val. I. 722 sq.: dixit et extemplo *furiis ira*que minaci
terribilis

Aen. XII 946 sqq.: — ◡ ◡ — — — *furiis* accensus et *ira*
terribilis

Val. II 13: *vela* leg*unt*. *remis insurgi*tur
Aen. III 207: *vela* cad*unt*, *remis insurgi*mus

Val. IV 761: *communesque voca*nt superos
Aen. VIII 275: *communesque voca*te deum

Val. IV 139: *paciferaeque manu* nequiquam insignia virgae
Aen. VIII 116: *paciferaeque manu* ramum praetendit olivae

Val. VII 297: *nec quo* ferre fugam *nec quo* se vertere posset
Aen XII 917: *nec quo* se eripiat *nec qua* vi tendat in hostem,

ubi eadem figura rhetorica iisdem paene verbis formata iisdem versus locis occurrit,

Val. V 284: *cernis*, ait, Colchos *habea*nt *quae* proelia
Aen. IX 188: *cernis*, *quae* Rutulos *habeat* fiducia rerum,

ubi tota quoque enuntiati constructio, quae quidem ab usitato modo paulo remotior est, prorsus est eadem. Multo enim magis vulgaris est ea constructio, qua non res dicitur habere hominem, sed homo rem, ut his locis

Val. III 45: *hostis habet* portus
Aen. II 290: *hostis habet* muros,

quamquam hic quoque verbum praegnantem habet vim, ita ut fortasse quispiam hoc quoque loco de imitatione cogitet.

Certa imitatio haec est

Val. I 688:

*infindit*que *salum et spumas* vomit *aere tridenti*,

ubi duo Vergiliani loci poetae obversati esse videntur

Aen. V 142 sq.:

*infind*unt pariter sulcos totumque dehiscit
convolsum remis rostrisque *tridentibus* aequor

et Aen. I 35:

vela dabant laeti *et spumas sal*is *aere* ruebant.

Verisimilis est imitatio hoc quoque versu

Val. VI 230: *fulmineum*que viris proturbans ingerit *ensem*.

Nam duo extant apud Vergilium versus, quibus verba communia eodem loco leguntur

Aen. IV 579 sq.: —⏑⏑— dixit vaginaque eripit *ensem fulmineum*

et IX 441 sq.: ——— instat non secius ac rotat *ensem fulmineum*

Facile omnes concedent Valerianam exclamationem (I 202) „illum ego!" formatam esse secundum Vergilianam (Aen. I 139) „quos ego!"

Concedenda videtur imitatio his quoque locis:

Val. VI 178 sq.: impulit hos contra Mavors pater *et mala leti gaudia*

Aen. VI 278 sq.: tum consanguineus *Leti* Sopor *et mala* mentis *gaudia*

Val. VIII 35: *acta* timore *gravi* ||

Aen. X 63: *acta* furore *gravi* ||,

fortasse etiam his:

Val. VI 522: *proterit* impulsu gravis *agmina*

Aen. XII 329 sq.: semineces volvit multos aut *agmina corru proterit*

Val. I 186 sq.: —————⏑⏑— non *clamor* anhelis *nauticus*

Aen. III 128: *nauticus* exoritur vario certamine *clamor*,

sed dubito his:

Val. VII 122: *impleri*que *nequit*

Aen. VIII 618: *impleri nequit*

Val. I 29: *terri*fici *monitu*s iterant

Aen. IV 434: *terri*bili *monitu* horrificant

Val. I 485: *horr*entem *iaculis*

Aen. V 37: *horr*idus in *iaculis.*

Aut enim aequabilitas non plena est aut nulla in verbis proprietas.

Certam imitationem ne hoc quidem loco habuerim:

Val VIII 395 sq.: nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima haec committat Erinnys

Aen. VII 223 sq.: quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis

X 90 sq.: consurgere in arma
*Europam*que *Asiam*que et foedera solvere furto.

Nam initium horum versuum non eiusmodi est, quod non quilibet poeta suo ingenio invenire possit.

Saepius quoque inveniuntur imitationes circum caesuram; atque duos inveni versus Valerianos, quibus ante caesuram desinunt verba communia, altero ante caesuram semiseptenariam

Val. V 276: ille *dies alterque dies* || cum Marte remisso

Aen. III 356: iamque *dies alterque dies* || processit et aurae,

altero ante caesuram semiquinariam

Val. VII 195: in*cipit: ingeminant* || commotis questibus aestus

Aen. IV 531: ac*cipit: ingeminant* || curae,

ubi paene tota prima versus pars communis est et verbum „ingeminant" apud utrumque poetam positum est pro „ingeminantur."

Commemoratur hic fortasse aptissime haec imitatio

Val. I 524: et *generos vocat, et* || iunctas sibi sanguine terras

Aen. XII 657 sq.: mussat rex ipse Latinus
quos *generos vocet aut* || quae sese ad foedera flectat,

quamquam hic quidem ea verba, quae proxime ante caesuram sunt, non prorsus eadem, sed simillima sunt. Accedit autem ad probandam imitationem, quod uterque poeta plurali „generos" non complures, sed unum tantum ge-

nerum significat. Qui usus Vergilii proprius est, qui in eadem voce pluralem numerum pro singulari utitur etiam

Aen. VII 270: —◡◡— *generos* externis adfore ab oris.

Eae imitationes, in quibus post caesuram incipiunt verba communia, paene omnes eae sunt, de quibus nemo possit dubitare. Post caesuram, κατὰ τρίτον τροχαῖον quae dicitur, unam tantum inveni imitationem

Val. II 466: —◡◡— Pariusve || *notas et nomina* sumit
Aen. III 444: fata canit foliisque || *notas et nomina* mandat,

post caesuram semiquinariam plures

Val. VII 49: omnibus atque ipsas || *gremiis abducere* natas
Aen. X 79: quid soceros legere et || *gremiis abducere* pactas

---

Val. I 602: qualis eram nondum || *vinclis et carcere* clausus
Aen. I 54: imperio premit ac || *vinclis et carcere* frenat

Val. V 126 sq.: huic magis alta
Haemonidae petere et || *monitus non temnere* Phinei
Aen. VI 620: discite iustitiam || *moniti et non temnere* divos

---

Val. III 340: dat pictas auro at*que* || *ardent*es *murice* vestes
Aen. IV 262: —◡◡— Tyrio*que* || *arde*bat *murice* laena

Val. II 639: miraturque viros || *dextramque amplexus* et *hae*rens
Aen. VIII 124: excepitque manu || *dextramque amplexus* in*hae*sit
558 sq.: tum pater Euandrus || *dextram* com*plexus* euntis
*hae*ret

Val. I 105: *visi* laude canunt || *manifesto in lumine* Fauni

Aen. IV 358: —⏑⏑ ipse deum || *manifesto in lumine vidi*
III 150 sq.: —⏑⏑— *visi* ante oculos astare iacentis
in somnis, multo || *manifesti lumine* — —

Val. IV 749: —⏑⏑— illum in || *sanie taboque* recenti
Aen. VIII 485 sqq.: mortua quin etiam iungebat corpora vivis
componens manibusque manus atque oribus ora.
(*tormenti genus*), et || *sanie taboque* fluentis
complexu in misero longa sic morte necabat.

Hunc locum Vergilianum Flaccus adeo adamavit, ut parenthesin quoque, quae est „tormenti genus," alio loco carmini suo insereret

II 194 sq.: Tisiphone saevasque dapes et pocula libat
(*tormenti genus*) et nigris amplectitur hydris.

Tales parentheses Vergilius saepius habet, et Valerius aliquoties in hac re eum secutus est, ut clarissime apparet ex his locis:

Val. III 294 sq.: exstinguine mea (fatis *id defuit unum*)
speravi te posse manu?
Aen. XII 643 sq.: excindine domos (*id* rebus *defuit unum*)
perpetiar?

Val. I 12 sqq.: versam proles tua pandet Idumen
(*namque potest*). Solymo nigrantem pulvere fratrem
spargentemque faces et in omni turre furentem
Aen. VI 365 sq.: aut tu mihi terram
inice (*namque potes*) portusque require Velinos.

Non enim credo hoc loco exemplar fuisse Horatium, qui similem quidem parenthesin habet

Epod. XVII 45: et tu (*potes nam*) solve me dementia.

Utrum imitatio statuenda sit an non multo difficilius est diiudicatu iis locis, quibus verba communia prorsus diversis versus locis occurrunt. Ac tamen in his nonnulli

sunt, ubi non facile quisquam imitationem negabit, ut his locis:

Val. II 568 sq.: —⏑⏑— tacitusque *dolos dirumque* volutat
corde *nefas*

Aen. IV 563: illa *dolos dirumque nefas* in pectore versat

Val. II 188 sq.: *delubra*que *festa*
fronde tegunt laetaeque viris venientibus adsunt

Aen. II 248 sq.: nos *delubra* deum miseri, quibus ultimus esset
ille dies, *festa* velamus *fronde* per urbem

Val II 102 sqq.: neque enim alma videri
iam tunica, aut tereti, *crin*em *subnect*itur *auro*
sidereos dif*fusa* sinus*)

Aen. X 137 sq.: *fus*os cervix cui lactea *crin*is
accipit et molli *subnect*ens circulus *auro*

Val. II 553 sq.: *pars* aerii fastigia muri
cing*it* et ignotis iuvenem *mirantur* in armis

Aen. II 31 sq.: *pars* stup*et* innuptae domum exitiale Minervae
et molem *mirantur* equi,

ubi eandem vocem singularem „pars" sequitur eadem verbi forma pluralis „mirantur," cum antea verba „cingit" et „stupet" numero singulari posita essent.

Simile, sed non prorsus eiusdem modi exemplum est:

Val. VIII 178 sq.: „*Vos*," ait, „*Aesonide*, conten*ti* vellere capto,
nec via, quae superet, nec quae fortuna vide*tis*"

Aen. IX 525: „*Vos*, o *Calliope*, precor, adspira*te* canenti."

Hic iuxta vocativum singularis numeri „Aesonide" et „o Calliope" idem subiectum „vos" et verba „videtis"

*) Attuli lectionem codicis Vaticani 3277 (V), qui optimus habetur; propositae sunt pro depravata lectione permultae emendationes, quarum quae summam probabilitatem habeat, difficillimum est ad diiudicandum.

et „adspirate“ plurali numero posita sunt. Explicatur haec constructio ita, ut dicatur unum dignitate priorem compellari, plures autem simul includi. Sed dubitari non potest, quin in hac constructione Valerius recordetur Vergilii.

Eiusdem imitatio haec quoque videtur esse

Val. V 388: ac tu prima doce *fandi tempusque modumque.*

Duo enim apud illum exstant loci similes

Aen. IV 291 sqq.: sese interea, quando optima Dido
nesciat et tantos rumpi non speret amores,
temptaturum aditus et quae mollissima *fandi*
tempora, quis rebus dexter *modus*

IV 474 sqq.: ergo ubi concepit furias evicta dolore
decrevitque mori, *tempus* secum ipsa *modumque*
exigit,

quorum prior maxime Valerio in mente fuisse videtur, qui tamen valde abbreviavit atque contraxit orationem Vergilii non aliter atque hoc loco

Val. III 576 sq.: tum vero et pallor et amens
cum *piceo sudore* rigor

Aen. IX 812 sqq.: cum toto corpore *sudor*
liquitur et *piceum* (nec respirare potestas)
flumen agit; fessos quatit aeger anhelitus artus.

Similis sententia similibus verbis expressa alicui imitationem probare videatur his locis:

Val. III 165 sqq.: sic dura sub ictu
ossa virum malaeque sonant sparsusque cerebro
albet ager

Aen. XII 35 sq.: recalent nostro Thybrina fluenta
sanguine adhuc campique ingentes *ossibus albent.*

Val V 399 sqq.: ille autem inceptum famula duce protinus urget
aëre saeptus iter, patitur nec regia *cerni*
Juno virum

Aen. I 411 sqq.: at Venus obscuro gradientis *aëre saep*sit
et multo nebulae circum dea fudit amictu
*cerne*re nequis eos neu quis contingere posset

Val. VI 628: quin habeat *sua quemque dies*
Aen. X 467: stat *sua cuique dies*

Val. VII 643: atque hausit subito sua *fun*era *tellus*
Aen. IX 490 sq.: quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque membra
et *fun*us lacerum *tellus* habet?

Val. VI 65 sq.: Datin Achaemeniae gravior de vulnere pugnae,
misit in arma Daraps
Aen. II 87: pauper *in arma* pater primis huc *misit* ab annis.

Sed equidem his locis paene nihil tribuo, cum sententiae tales sint, quales a quolibet poeta possint proferri, similitudo autem verborum non ita magna sit.

Paulo plus momenti fortasse habent duae metaphorae, quibus uterque poeta in belli significatione utitur

Val. III 253: tunc *porta* trucis *coit* infera belli
Aen. I 293 sq.: dirae ferro et compagibus artis
claudentur belli portae

Val. VI 749: iam tandem extremas *pugnae* defertur in *oras*
Aen. IX 529: et mecum ingentis *oras* evolvite *belli*.

Addo iam nonnullas res minores, quae per se imitationem probare non possunt, sed ad reliqua argumenta accedunt.

Amat Vergilius metaphoram, qua navis dicitur sequi terram, terra autem fugere vel recedere:

Aen. IV. 361: Italiam non sponte sequor
IV 381: i, sequere Italiam ventis
V 628 sq.: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem

VI 61: iam tandem Italiae fugientis prendimus oras
III 72: provehimur portu, terraeque urbesque recedunt
III 496: arva neque Ausoniae semper cadentia retro.

Idem usus ne apud Valerium quidem rarus est; cf.

I 2 sq.: ratem, Scythici, quae Phasidis oras ausa sequi
II 8 sq.: iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit Sepias
V 51: heu quantum Phasis, quantum Aea recessit.

Verbum currendi Vergilius bis coniungit cum accusativo

Aen. III 191: vela damus vastumque cava trabe currimus aequor
et V 235: di, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro.

Neque aliter scribit Flaccus

IV 336: refer frondes cumque hac freta curre corona.

Non casui tribuendum videtur, quod uterque poeta eodem deponentis verbi participio satis raro „bacchatus" cum passiva significatione utitur

Val. III 20:

Didyma sanguineis famulum bacchata lacertis

Aen. III 125:

bacchatamque iugis Naxum viridemque Donusam.

Idem verbum bicompositum rarissimum „transabire" reperimus

Val. IV 510 sq.:

turbine sic rapido populos atque aequora longe transabeunt

Aen. IX 431 sq.: sed viribus ensis adactus
transabiit costas.

Sol dicitur Phaëthon

Val. III 213 sq.: trepidam Phaëthon adflavit ab alto
Tisiphonen

Aen. V 104 sq.:
exspectata dies aderat nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant.

„Nocte satae“ apud Valerium appellantur furiae, „Nocte sata“ apud Vergilium Allecto

Val. III 252:
quem Nocte satae, quem turbidus horret

Aen. VII 331:
hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem.

Verbo armandi saepe translate utitur Vergilius

Aen. IX 773: ferrumque armare veneno
X 140: calamos armare veneno
XII 857 sqq.:
non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta
armatam saevi Parthus quam felle veneni
. . . . torsit,

semel quoque Flaccus

VIII 302: armant alii picis unguine flammas.

Val. VIII 335 „Styri violentia“ resipit Vergilium, qui bis (Aen. XI 376 et XII 45) habet „violentia Turni“.

Idem exemplum cycli, qui vocatur, iisdem versuum locis occurrit

Val. IV 488 sq.: *simul* aequora servant
astra *simul*

Aen. IX 318 sq.: *simul* arma iacere
vina *simul*.

Haec sunt exempla, quibus demonstrare studui uberrime Valerium imitatum esse Vergilii Aeneidem. Atque est hoc id carmen, quo magis exemplar fuit Valerio nullum. Neque mirum hoc est, cum omnes posteriores

poetae epici ante omnia secuti sint Aeneidem. Sed hoc quoque persaepe observandum erat Valerium non serviliter imitari exemplar suum, sed aemulari Vergilium et studere eum superare. Atque, ut mihi quidem videtur, in eligendis ad imitandum locis satis felix est elegantiamque aliquam praebet.

Sed Aeneidem imitari Valerium unusquisque exspectabit, qui modum rationemque posteriorum poetarum Latinorum perspexerit. At multo magis operae pretium est quaerere, num ceterorum quoque operum Vergilianorum vestigia se praebeant in Argonauticis. Quam in rem cum inquirerem, nonnulli mihi se obtulerunt loci, quibus demonstrari videtur non semel Valerium sequi *Georgica*.

Non multum tribuo ei, quod primo loco affero, argumento. Videmus apud Flaccum (II 367) Tiphyn verentem porro navigare, quod „quarto ortu" luna est densa imbribus:

> et lunam *quarto* densam videt imbribus *ortu*
> Thespiades, longus coeptis et fluctibus arcet
> quem metus.

Declarationem habet Vergilius

Georg I 432 sqq.:

> sin *ortu quarto*, namque is certissimus auctor,
> pura (Phoebe) neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
> totus et ille dies et qui nascentur ab illo
> exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt.

Non ita negaverim Valerium hic cogitasse de Vergilio, sed potest illa fuisse regula rustica et Valerio et Vergilio multisque aliis nota, qua re congruentia verborum „quarto ortu" satis declaratur.

Nec maioris momenti est similitudo, quam fortasse aliquis inveniat in his comparationibus

Val. I 580 sq.:

stat rupes horrenda fretis: quot in aethera surgit
molibus, infernas totiens demissa sub undas

Georg. II 290 sqq.:

altior ac penitus terrae defigitur arbos,
aesculus in primis, quae quantum vertice ad auras
aetherias, tantum radice in Tartara tendit.

Magna locorum diversitas vel inde apparet, quod Valerius de rupe, Vergilius de arbore dicit.

Maiorem iam vim habere videtur, quod Val. I 548 sqq. Juppiter dicitur laetari, quod magnus labor exsistat Graecis; neque enim ei placere otium regni Saturni:

siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
coepta tuens tantamque operis consurgere molem
laetatur; patrii neque enim probat otia regni.

Haec sententia eadem est, quam Vergilius Georg. I 121 sqq. aliis quidem atque amplioribus verbis expressit; neque veridissimile est Valerium eam desumpsisse ex hoc loco:

Pater ipse colendi
haud facilem esse viam voluit primusque per artem
movit agros curis acuens mortalia corda
nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.

Multo certiora imitationis vestigia insunt in his comparationibus:

Val. II 546 sqq. (de Hercule):

qualis per pascua *victor*
ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
taurus, ubi adsueti pecoris *stabula* alta revisit
et patrium nemus et *bello* quos *ultus amores.*

Georg. III 219 sqq.:

pascitur in magna Sila formosa iuvenca:
illi alternantes multa vi proelia miscent
volneribus crebris, lavit ater corpora sanguis,
versaque in obnixos urguentur cornua vasto
cum gemitu, reboant silvaeque et longus Olympus.
nec mos *bell*antis una stabulare, sed alter
victus abit longeque ignotis exsulat oris
multa gemens ignominiam plagasque superbi
*victor*is, tum, quos amisit in*ultus*, *amores;*
et *stabula* adspectans regnis excessit avitis.

Quamquam in his quoque Vergilius multo plura facit verba accuratiusque rem exponit quam Valerius, tamen hunc illius vestigiis incedere probabile fit cum totius argumenti similitudine tum verbis „ultus amores" et „inultus amores" eodem versus loco eadem cum translatione positis. Ac tamen in una re Flaccus ab exemplari suo discedere studet. Vergilius enim dixerat de tristi sorte victi bovis, ille praedicat fortunam superbiamque invicti.

Val. VI 33 sqq. haec habet:

Huic age *Rhipaeo* quos videris orbe furores,
Musa, mone; quanto *Scythiam* molimine Perses
concierit, quis fretus equis per bella virisque.

Deinde nonnullis versibus, quibus imitatur Aeneidem, intermissis sic pergit:

Marte cadat, pingui numquam tamen ubere defit,
quod *geminas arctos*, magnumque quod impleat *anguem.*

Fortasse Valerius in his cogitavit de Vergilio, qui Georg. I 240 sq. scribit:

mundus, ut ad *Scythiam Rhipaea*sque arduus arces
consurgit,

deinde paulo infra pergit:

maxumus hic flexu sinuoso elabitur *anguis*
circum perque *duas* in morem fluminis arctos.

Ut immensam arborum significet altitudinem, Flaccus dicit

VI 76 sqq.:

densior haut usquam nec celsior extulit ullas
silva trabes, fessaeque prius rediere sagittae
arboris ad summum quam pervenere cacumen.

Eadem ad arborum Indiae altitudinem illustrandam imagine utitur Vergilius

Georg. II 122 sqq.:

aut quos Oceano propior gerit India lucos,
extremi sinus orbis; ubi *aëra* vincere *summum*
arboris haud ullae iactu potuere sagittae.

Hic quidem in argumento tantum similitudo est; sed verba quoque maxime huius loci propria Valerius desumpsit

VI 260 sqq.:

qualem populeae fidentem nexibus *umbrae*
siquis avem *summi* deducat ab *aëre rami*,
ante manu tacita cui plurima crevit harundo;
illa dolis viscoque super correpta tenaci
implorat *ramos* atque inrita concitat alas.,

quae quidem comparatio cum propter paria versus primi initium et finem tum propter argumentum in universum idem rursus in memoriam revocat aliam comparationem Vergilianam

Georg. IV 511 sqq.:

qualis populea maerens philomela sub *umbra*
amissos queritur fetus, quos durus arator
observans nido implumis detraxit; at illa
flet noctem *ramo*que sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus implet.

Quamvis igitur Flaccus in his comparationibus, quae quin ex Vergilio desumptae sint vix quisquam dubitabit, studuerit verba mutare, tamen vestigia imitationis non delevit omnia.

Certo quoque Valerius, cum scriberet

I 336 sqq.: O si mihi sanguis,
quantus erat, cum signifero *cratere minantem*
non leviore *Pholum* manus haec compescuit auro.",

meminit Vergilii, qui haec habet

Georg. II 455 sqq.:
Bacchus et ad culpam caussas dedit: ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque *Pholum*que
et magno Hylaeum Lapithis *cratere minantem.*

Paulatim iam transiimus ad eos versus, quibus non tam pari sententia quam similibus verbis imitatio probatur. In his est

Val. IV 703:
nec vero ipse metus || *curasque resolv*ere ductor

Georg. I 302:
invitat genialis hiems || *curasque resolv*it,

ubi a caesura incipiunt verba communia, sed illo versu a semiquinaria, hoc a semiseptenaria.

Complura verba communia sunt

Val. I 81 sq.: turbidus *atro*
aethero *caerule*um quateret cum Juppiter *imbre*

Georg. I 236:
caerulea glacie concretae atque *imbr*ibus *at*ris.

Neque vero ignoro haec per se paene nihil probare, sed accedunt ad priora argumenta. Idem quadrat in ea, quae iam breviter additurus sum.

Val. I 664 habet „aut Athon aut Rhodopen", et idem legitur Georg. I 332.

„Moeret ebur" Val. II 466 in memoriam revocat „moestum ebur" Georg. I 480.

Castoris equus et Val. I 421 et Georg. III 90 appellatur Cyllarus.

Quanquam haec, quae postremo attuli, non tantum probant, quantum priora, tamen puto negari non posse Valerium aliquoties Georgica esse imitatum.

Periculosius est idem contendere de *Bucolicis*. Non enim multa neque certissima sunt, quae aliquo modo Vergilii Bucolica sapere videntur.

Quod Val. III 596 de Hercule Hylan quaerente dicitur:

rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat avia

habet aliquam similitudinem cum

Ecl. VI 43 sq.:

his adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.,

quae tamen non tanta est, ut certo imitatio statui possit.

Non plus tribuendum est similitudini, quae est

Val. VIII 117:

corripit optatum decus *extremum*que *laborem*

Ecl. X 1:

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede *laborem*

vel simili accusativi usui

Val. I 398 sq.:

insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
arma geris

Ecl. III 106 sq.:

dic, quibus in terris inscripti nomina regum
nascantur flores.

Unus locus, quo aliqua saltem cum verisimilitudine de imitatione cogitari posse videtur, est

Val. I 405 sq.: *tantum haec aliis* excelsior hastis
quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.,

quae comparatio conferri aliquo modo potest cum

Ecl. I 24 sq.:

verum *haec tantum alias* inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi.,

cum forma comparationis eadem, argumentum simile sit. Itaque difficillimum est diiudicatu, utrum Valerius Bucolica quoque imitatus sit necne. Equidem putaverim non ignota ea fuisse poetae, sed non idonea esse maxime

propter argumenti dissimilitudinem, ex quibus epicus poeta aliquid carmini suo inserat.

Quoniam de Vergilio satis videtur dictum, transeo ad *Ovidium*, qui quidem non est epicus poeta, sed saepius, imprimis in Metamorphosibus, et metro et argumento proxime ad epicum morem accedit.

Atque sunt in *Metamorphosibus* nonnulli loci, quibus materies similitudinem praebet cum Valerio.

Uterque poeta habet Ius historiolam (Met. I 568 sqq., Val. IV 344 sqq.). Ac non solum in universum Valerius, quamquam servilis imitator ne hic quidem est, compositionem et narrationis tenorem secutus sed etiam nonnullas proprietates imitatus esse videtur. Satis exquisite Ovidius locum significaverat

Met. I 598 sq.: iam . . . . .
. . . . . *Lyrcea* reliquerat *arva*

et simillime Valerius

IV 355 sq.: dominam *Lyrceïa tellus*
. . . . . tremuerunt.

Deinde

Val. IV 371 sq.: heu multa morantem
conantemque preces inclusaque pectore verba

in memoriam revocant

Met. I 637: et conata queri mugitus edidit ore

et simillimum versum

Heroid. XIV 91: conatoque queri mugitus edidit ore.

etsi similitudo non tanta est, ut certa imitatio statuenda sit. Sed similiter Ovidius persaepe dicit in metamorphosibus narrandis, ut de Lycaone in lupum mutato

Met. I 233:
exululat frustraque loqui conatur

II 584 sq.:
plangere nuda meis conabar pectora palmis:
sed neque iam palmas nec pectora nuda gerebam.,

de Aglauro, cum in saxum mutatur

Met. II 819 sqq.: at illi
surgere conanti partes, quascunque sedendo
flectitur, ignava nequeunt gravitate moveri.,

de Phineo in saxum obdurato

Met. V 232 sq.:
tum quoque conanti sua vertere lumina cervix
deriguit.

Apud Flaccum quoque alterum huiusmodi exemplum est

VII 118: atque *loqui conata* silet,

quocum conferri potest

Met. XI 419:
ter *conata loqui* ter fletibus ora rigavit

vel Heroid. IV 7 sq.:
ter tecum *conata loqui*, ter inutilis haesit
lingua, ter in primo destitit ore sonus.

Longum est omnia exempla afferre, quae permulta sunt. Sed eo facilius cogitari potest Valerio, cum versum illum scriberet, hunc narrationis modum Ovidii proprium in mente haesisse. Accedunt aliae in hac historiala proprietates, quae Ovidium in memoriam revocant; sic, si conferas

Met. I 632 sqq.:
frondibus arboreis et amara pascitur herba
proque toro terrae non semper gramen habenti
incubat infelix limosaque flumina potat.

cum Val. IV 378 sqq.:
heu quoties saxo posuit latus! aut ubi longa
aegra siti, quos ore lacus, quae pabula carpsit!

Hoc loco clarissime apparet variandi studium Valerii. Id, quod Ovidius simpliciter narrat, apud illum rhetoricam praebet faciem. Non parcit exclamationibus et divinari nos cogit, quos lacus, quae pabula significet.

Harpe Mercurio datur

Val. IV 390:

et celerem (Mercurius) mediis in cautibus exigit harpen,

ut apud Graecos poetas et Ov. Met. V 69 et 176, ubi Perseus a Mercurio harpen accipit. Ceteri poetae Latini hac voce uti non videntur, et apud ipsum Ovidium rara est. Met. IV 727 eam circumscribit „falcato ense." Atque „*exigit* harpen", quamquam etiam Verg. Aen. X 815 legitur:

validum namque *exigit* ensem,

fortasse debetur Ovidio, qui Met. V 171, paulo ante illum locum, quo „harpe" quoque occurrit, habet:

exactum viribus ensem.

Hoc igitur apparere videtur, Valerium in Ius historiola aliquotiens sequi Ovidium.

Idem intellegitur ex initio septimi Argonauticorum libri, quod nonnullas praebet similitudines cum initio septimi Metamorphoseon libri, etiamsi non obliviscendum est eandem rem, quam Valerius per totum librum perducit, ab Ovidio centum et quinquaginta circiter versibus narrari, quo fit, ut accuratiores similitudines vix possint exspectari. Eo plus auctoritatis habent paucae eae, quas nunc allaturus sum. Sermo est de amore, quem Medea concepit erga Jasonem, atque dicitur de illa

Val. VII 5: contigit aegra toros et *mens incensa tenebris.*

Similem sententiam simili occasione apud Ovidium invenimus Met. VIII 81, ubi Scylla, Nisi regis filia, Cephalo, in quem amore inflammata erat, narratur urbem tradidisse. Dicitur enim:

talia discenti curarum maxima nutrix
nox intervenit, *tenebrisque audacia crevit.*

Usque ad verba aequabilitas pertinet in his, quae dicit Medea

Val. VII 13 sq.: *quid in hospite* solo
mens mihi?

collatis verbis Ovidianis

Met. VII 21 sq.: *quid in hospite*, regia virgo,
ureris et thalamos *alieni* concipis *orbis?*,

ubi reminisceris Val. VII 35, quo loco poeta Graecos appellat „*orbe* satos *alio.*"

Ergo initio quoque libri septimi Valerius meminit Ovidii; nec minus I 145 sq., ubi narrat Nestorem victorem in tergum Monychi Centauri insiluisse:

fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus

cogitasse potest de Ovidio, qui Met. XII 345 sq. habet:

tergoque Bienoris (Centauri) alti
insilit (Theseus), haut solito quemquam portare nisi ipsum.

Satis miram rem ad nautica pertinentem docet Ovidius

Met. XI 530:

vastius insurgens *decimae* ruit impetus *undae*

et multo doctius atque contortius

Trist. I 2, 49 sq.:

qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes:
posterior nono est undecimoque prior.

Quos locos, et maxime priorem, sine ulla dubitatione secutus est Flaccus, cum scriberet

II 53 sq.: quanta quotiens et Palladis arte
incassum *decimae* cecidit humor arduus *undae.*

Similis res apud Lucanum quoque commemoratur

V 672 sq.:

haec fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
invalida cum puppe levat.

Sed non verisimile est hunc locum Valerii exemplar fuisse. Imitatus est potius Lucanus, ut postea Valerius, Ovidium.

Certa Ovidii imitatio est comparatio illa, qua in Hercule Hylan quaerente utitur Flaccus

III 581 sqq.:

continuo, volucri ceu pectora tactus asilo
emicuit Calabris taurus per confraga saeptis
obvia quaeque ruens, tali se concitat ardens
in iuga senta fuga.

Simillima Ovidius de Daedalione, qui filiam in rogo ardentem videt, utitur comparatione

Met. XI 333 sqq.: quater inde repulsus
concita membra fugae mandat similisque iuvenco
spicula crabronum pressa cervice gerenti,
qua via nulla, ruit.

Venus blandis adloquiis paventem Medeam trahens apud Flaccum hac illustratur comparatione

VII 375 sqq.:

qualis adhuc teneros supremum pallida fetus
mater ab excelso *produxit in aëra nido*
hortaturque sequi brevibusque insurgere pinnis.

Paene iisdem verbis apud Ovidium Daedalus, qui cum filio Icaro pennis per aëra effugiturus est, ante hunc volans pingitur eique timens

Met. VIII 213 sqq.: velut ales, ab alto
quae teneram prolem *produxit in aëra nido*
hortaturque sequi damnosasque erudit artes.

Est haec fortasse certissima imitatio Ovidiana.

Minus probant pugnae apud Colchos commissae (Val. VI 189 sqq.), quae in universum quidem non dissimiles sunt Centaurorum et Lapitharum certaminibus apud Ovidium (Met. XII), in singulis autem non multum habent similitudinis.

Argumenta adhuc allata demonstrare iam possunt compluries Valerium imitatum esse Metamorphoses Ovidii. Sed accedunt verborum similitudines, quae, quamquam non tantum probant, quantum illae iam allatae, prorsus neglegi non possunt.

Atque similes versus exitus inveni hos:

Val. VII 170: Furiis atque ipsi (Medeae) *cetera mando*
Met. II 140: —◡◡—◡◡— Fortunae *cetera mando*

Val. I 316: —◡◡— longis flentes *amplexibus haerent*
Met. VII 143:
victoremque tenent avidisque *amplexibus haerent*

Val. II 253: —◡◡—◡◡—◡◡— tunc *excipit artus*
Met. X 186:
quam puer ipse deus conlapsosque *excipit artus*
XII 423: protinus Hylonome morientes *excipit artus*

Val. VII 411:
flagrantesque genas vidit *miserumque pudorem*
Met. X 411 sq.: „discede, precor, *miseroque pudori*
parce“ ait.,

ubi accedit, quod „miser“ eodem cum rariore usu significat „qui misericordiam movet.“

Minus certum est

Val. III 244 sq.:
—◡◡— sonitusque pedum suspectaque *motu*
*explora*nt
Met. X 455 sq.:
nutricisque manum laeva tenet, altera *motu*
caecum iter *explorat.*

Exemplum, in quo initium par est, breviter iam supra commemoravi hoc

Val. VI 555:
sanguinis ille globos || effusaque viscera gestat
Met. XII 238 sq.:
sanguinis ille globos || pariter cerebrumque merumque
vulnere et ore vomens.

Addo Val. II 269:
*pampinea*mque quatit ventosis ictibus *hastam*
Met. III 667:
*pampine*is agitat velatam frondibus *hastam.*

Hic quidem non est apud Ovidium translatio, qua Flaccus „pampineam hastam“ dicit pro „hastam pampineis velatam frondibus,“ sed hanc quoque debere potest illi, qui Heroid. XIII 33 sq. scribit:

ut quas *pampinea* tetigisse Bicorniger *hasta*
creditur.,

atque altera translatio, qua thyrsus dicitur hasta, ambobus est communis.

Ante caesuram semiquinariam verba concinunt

Val. VI 514:

qua *deus et melior* || belli respexit imago

Met. I 21:

hanc *deus et melior* || litem natura diremit.

Addo hic

Val. I 260 sq.:

illum nec *valido* || spumantia pocula *Baccho*
sollicitant

Met. XV 324:

seu vis est in aqua *valido* || contraria *vino*

Fast. VI 677 sq.:

nec mora, convivae *valido* || titubantia *vino*
membra movent.

Idem verbum, quod apud Valerium ante caesuram semiquinariam est, apud Ovidium utroque loco ante caesuram semiseptenariam occurrit. Sed apparet sic quoque id facillime in memoria haerere potuisse. Accedit, quod eidem rei, vino, idem attributum datur; ac Valerius quidem, ut solet, exquisitius non vinum, sed Bacchum dicit validum.

Ex rebus minoribus, quae accedunt ad probandam imitationem Metamorphoseon, commemoro has:

Val. I 633: haec iterant *segni* flentes occumbere *leto*

„segni leto“ intellegendum est de eo leto, quod non fortiter oppetas, sed quod tamen effugere non possis, de turpi leto. Similia attributa Ovidius, ut idem significet, dat leto

Met. VII 542 sqq.:

acer equus quondam magnaeque in pulvere famae
degenerat palmas veterumque oblitus honorum
ad praesepe gemit *leto* moriturus *inerti.*

VIII 518 sq.:

quod tamen *ignavo* cadat et sine sanguine *leto,*
maeret et Ancaei felicia vulnera dicit.

Mercurium Val. I 737 appellat „*magnae nepotem Pleïones,*" quocum conferri potest

Met. II 742 sq.: cui sic respondit Atlantis
Pleïonesque nepos

Heroid XVI 65: Atlantis *magni Pleïonesque nepos.*

Val. IV 15 scribit:

dixit et arcano red*olentem* nect*are* rorem

et VI 157: et par*ibus spirans* Medea venen*is.*

Eundem post verbum olendi casum habet Ovidius

Met. V 405 sq.:

perque lacus altos et *olentia* sulphur*e* fertur.

„Ore renidenti," quod habet Ovidius Met. VIII 197., apud Valerium quoque (IV 234) occurrit.

Quamquam his, quas postremo attuli, non ita multum tribuendum est, tamen coniunctis omnibus exemplis demonstrasse mihi videor Metamorphoses saepius Valerio exemplo fuisse.

Idem puto posse probari de *Heroidum* epistulis, ex quibus complura exempla iam supra allata sunt. Addo nonnullas verborum magis quam rerum similitudines.

Finis versus idem est

Val. VIII 36 sq.: at ille
excepit blandoque *prior sic ore locutus*

Heroid. XII 72: orsus es infido *sic prior ore loqui*

Val. IV 449 sq.: consuetis serum est ex *ordine fatis*
ingemere

Heroid. I 101 sq.:

di precor, hoc iubeant, ut euntibus *ordine fatis*
ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Val. IV. 409 sqq.:

contra Nilus adest et toto gurgite torrens
Tisiphonen agit atque imis *inlidit harenis*
Ditis opem

Heroid. XVIII 201:

quem postquam bibulis *inlisit* fluctus *harenis*

Val. VIII 342: iungam igniferos sine carmine *tauros*

Heroid. XII 93: *iungis* et aeripedes inadusto corpore *tauros*,

ubi argumenti similitudo accedit,

Val. V 4 sq.:

at memor Aesonides *nimium* iam *vera* locuti
Phinei

Heroid. V 123: ah! *nimium* miserae vates mihi *vera* fuisti.

ubi verborum coniunctio „nimium vera" satis quaesita et ab usitato dicendi genere, quod est „nimis vera," paulo remotior de imitatione cogitari iubet.

Circumcluditur caesura verbis paribus

Val. III 669: —◡◡— nec parva *mihi* || *fiducia* gentis

Heroid. XVII 123:

non est tanta *mihi* || *fiducia* corporis ——.

Atque etiamsi caesura apud Valerium est semiseptenaria, apud Ovidium semiquinaria, tamen rhythmus aequorum verborum idem est.

Satis certis quoque argumentis evinci potest Valerium nonnulla sumpsisse ex Ovidii *Amoribus*.

Iubet enim apud illum Pelias Jasonem vellus aureum arcessere. Mentem autem atque animum herois, cum haec audisset, poeta sic describit

I 67 sqq.: *nunc* aërii plantaria vellet
Perseos aut curru saevos *frenasse dracones*

creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
imbuit et *flava quercum damnavit arista.*

Etsi extrema verba in memoriam revocant

Verg. Georg I 7 sq.:

Liber et alma Ceres, vestro si murmure tellus
Chaoniam *pingui glandem mutavit arista.*,

tamen sine ulla dubitatione totam formam optationis Flaccus debet Ovidio, qui bis simillime loquitur. Ac primum quidem, ut flumen transire possit, sic optat

Am. III 6, 12 sqq.:

nunc ego quas habuit pinnas Danaeïus heros,
terribili densum cum tulit angue caput,
nunc opto currum, de quo Cerealia primum
semina venerunt in rude missa solum.

Deinde, ut Tomis domum redire possit, hoc habet votum

Trist. III 8, 1 sqq:

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
misit in ignotam qui rude semen humum.
nunc ego Medeae vellem *frenare dracones,*
quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.
nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
sive tuas, Perseu, Daedale, sive tuas.

Quamquam Valerius non potuit Jasonem facere optantem, ut Medeae currus sibi esset, quae tum Colchide etiam erat nihilque de Jasone sciebat, tamen verba „frenasse dracones“ Ovidianae currus Medeae descriptioni debet.

Idem versus exitus, quem habet Valerius

VII 171: tum Venus aligerum *mater* sic fatur *Amorum,*

bis occurrit apud Ovidium

Am. III 15, 1:

Quaere novum vatem, tenerorum *mater Amorum*

Fast. IV 1:

„Alma fave,“ dixi, „geminorum *mater Amorum.*“

Neque neglegendum est Venerem his tribus tantum locis dici matrem Amorum.

Ante caesuram semiquinariam verborum congruentia est

Val. VII 330: et quae *sanguinea* || *lunae* destrinxit ab ira

Am. II 1, 23:

carmine *sanguineae* || deducunt cornua *lunae*,

ubi accedit, quod luna utroque versu appellatur sanguinea; nam quod exquisitius apud Valerium dicitur de lunae ira, re vera, ut apud Ovidium, intellegendum est de luna ipsa.

Ex *Tristibus* quoque praeter locum iam allatum nonnulla verba sumpsit Flaccus. Initium huius versus Valeriani

IV 48: *icta fatiscit aquis* donec domus haustaque fluctu est

usque ad caesuram semiquinariam ad verbum congruit cum versus Ovidiani parte altera

Trist. I 10, 7 sqq.:

et patitur fluctus fertque adsilientia longe
aequora, nec servis *icta fatiscit aquis.*

Sed in versu pentametro utraque pars dimidia, quod ad metrum attinet, par est primae parti versus hexametri usque ad caesuram semiquinariam pertinenti. Itaque haec similitudo, quae in fine pentametri est, idem valet, ac si initio hexametri occurreret. Accedit, quod, quamquam apud Ovidium de nave, apud Flaccum de Halcyonum nido sermo est, in universum de eodem statu rerum agitur.

De Ovidii *Fastis* admoneris, si legis Val. I 39, ubi Pelias, cum mandat Jasoni, ut vellus aureum arcessat, „et fictis *dat vultum* et pondera verbis.“ Similiter Fast. V 503 Hyrieus senex, postquam mitissimis verbis Jovem, Neptunum, Mercurium socias vias carpentes domum suam invitavit, „*addidit* et *voltum verbis* iterumque rogavit.“ Atque utroque loco, ut sententiarum connexus ostendit, „voltus“ significat „mitem et comem voltum.“

Rem quoque astronomicam docet Ovidius

Fast. III 107 sq.:

esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet?

et eadem res attingitur

Heroid. XVII 149:

nec sequor aut Helicen aut, qua Tyros utitur, Arcton.

Itaque non mirabimur hanc rem saepius memoratam apud Valerium quoque inveniri

I 17 sq.: neque enim Tyriis *Cynosura carinis*
certior aut Grais Helice servanda magistris.,

quamquam ipsa verba postulant, ut Lucanum quoque censeamus in animo ei fuisse, cum haec habeat

III 218 sq.: has ad bella rates non flexo limite ponti,
certior haud ullis duxit *Cynosura carinis.*

Ergo Ovidium et Lucanum hoc loco Valerius ante oculos habuit.

Restat unus locus, quo propter verborum duorum proprietatem imitatio statuenda videtur

Val. VII 348 sq.: tua me grandaeva fatigant
consilia et *monitis* cedo *minor*

Art. am. II 547 sq.:

hac ego, confiteor, non sum perfectus in arte.
quid faciam? *monitis* sum *minor* ipse meis.

Ergo non solum Metamorphoses, sed etiam reliquorum carminum Ovidianorum complura imitatus est Valerius, etsi argumentum eorum non semper valde idoneum erat, ex quo multa in suum usum converteret.

Ovidius nos iam traduxit ad poetas lyricos, atque videtur satis operae pretium esse quaerere, num etiam ceterorum lyricorum imitationes inveniantur apud Valerium.

Ac primum quidem *Horatius* dignus videtur, de quo quaestio suscipiatur.

Apud quem notissimus ille versus

Art. p. 412:

qui studet *optatam* || cursu *contingere* metam

haud parvam similitudinem praebet cum

Val. IV 620:

fors etiam *optatam* || dabitur *contingere* pellem.

Eodem modo verba Valeriana

I 13: Solymo *nigr*antem *pulvere* fratrem

in memoriam revocare possunt Horatium, qui saepius similiter dixit

Carm. I 6, 13 sqq.:

Quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit, aut *pulvere* Troico
*nigr*um Merionen

Carm. II 1, 21 sq.:

Audire magnos iam videor duces
non indecoro *pulvere sordidos.*

Neque ita dissimilis est hic locus Horatianus

Carm. I 15, 9 sq.:

heu, heu, quantus *equis*, quantus adest viris
sudor!

huic loco Valeriano

V 287 sq.: manet ingens aegida *sudor*
et nostros iam *sudor equos.*

Sed nescio, num haec exempla satis firma sint, ut imitationem probent. Equidem putaverim, ut poetam epicum imitatum esse lyricum evincatur, gravioribus opus esse argumentis.

Multo etiam debiliora sunt *Catulli* et *Tibulli* imitationis vestigia.

Apud illum enim unum tantum inveni locum, quo aliqua saltem similitudo videtur esse cum loco Valeriano. Cum enim Graeci in eo sunt, ut ancoras solvant, Chiron advenit, ut puerum Achillem patri ostendat. Quae narratio apud Flaccum sic incipit

I 255:

iamque *aderat* summo decurrens *vertice Chiron.*

Et apud Catullum in Epithalamio Thetidis et Pelei legitur 64, 278 sq.:

quorum post abitum princeps e *vertice* Peli
advenit Chiron portans silvestria dona.

Sed occasio veniendi hic prorsus alia est atque apud Valerium.

Haud plus demonstratur locis Tibullianis.

Val. I 447 sqq.:

a quotiens famulo notis *soror* obvia silvis
flevit, ubi Ossaeae captaret frigora quercus
perderet et pingui miseros Boebeide crines

in memoriam revocare potest

Tib. II 3, 17 sqq.:

o quotiens illo vitulum gestante per agros
dicitur occurrens erubuisse *soror!*
o quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
rumpere mugitu carmina docta boves.

Altero loco

Val. VII 246 sq.:

redde diem noctemque mihi, da prendere vestes
somniferas ipsaque oculos componere virga

de somno dormientes amiculo velante eadem sententia profertur, quae in Tibullianae collectionis Lygdami elegia quarta profertur

v. 55: et cum te fusco Somnus velavit amictu.

Sed apparet, quam nihil ex his rebus levidensibus sequatur. Atque stulti esset his debilibus argumentis nisum contendere Valerium imitatum esse Catullum et Tibullum.

Aliter iudicandum censeo de *Propertio*, qui complures locos habet, quos Valerium secutum esse satis certo potest contendi.

Dicit Flaccus de Iasone draconis dentes serente

VII 607 sqq.:

ille (Iason) velut campos Libyes ac pinguia Nili
fertilis arva secet, plena sic semina dextra
spargere gaudet agris *oneratque novalia bello.*

Quae quidem ultima verba poeta formavit secundum Prop. IV 11, 9 sq., ubi de eadem re poeta sic dicit:

Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros
egit et armigera *proelia sevit humo.*

Meminit certo Valerius hoc loco Propertii, sed non tam imitari quam superare eum studet. Exquisitius enim dictum est „onerat novalia bello" quam „proelia sevit humo."

Similiter de dracone dicunt Medea apud Valerium VIII 63:

et blanda *poscit* me *pabula* lingua

et Propertius V 8, 7 sq.:

ieiuni serpentis honos, cum *pabula poscit*
annua.

Conferri quoque potest Val. I 384 sq.:

Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
palla imos *ferit* alba *pedes*

cum Prop. IV 17, 32, ubi de Lydia dicitur:

et *feries* nudos *veste* fluente *pedes.*

Accedunt nonnullae verborum similitudines eodem versus loco occurrentes. Atque in fine versus Val. III 529 sqq.:

e quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
cum fugerent iam tela ferae, *processerat ultra*
turbatum visura nemus *font*emque petebat

Prop. I 20, 23 sq.:

at comes Invicti iuvenis *processerat ultra*
raram sepositi quaerere *font*is aquam.,

ubi eadem occasione de aliis quidem hominibus eadem occurrunt verba.

Deinde initio versus

Val. VI 537: *et stolidum* petiisse *pecus*

Prop. III 16, 8: *et stolidum* pleno vellere carpe *pecus*,

quae quidem imitatio minus certa est.

Tum in fine versus et ante caesuram semiquinariam

Val. I 301: visa *coronatae* || fulgens tutela *carinae*

Prop. IV 24, 15: ecce *coronatae* || portum tetigere *carinae*.

Postremo nonnullas res levidensiores affero.

Verbum hiandi cum transitiva significatione positum est

Val. VI 705 sq.: subitos ex ore cruores
saucia tigris hiat

Prop. III 31, 5 sq.:
hic equidem Phoebo visus mihi pulcrior ipso
marmoreus tacita carmen hiare lyra.,

quod alias usquam occurrere notum mihi non est.

Val. V 273:
iamque aderat *magnis* regum cum *milibus* urbi

offendere potest, quod „magnis milibus" positum est pro „multis milibus", quod est apud Vergilium

Aen. V 75:
illi e concilio multis cum milibus ibant.

Sed idem offendit

Prop. I 5, 10:
at tibi curarum *milia quanta* dabit.

Addo postremo loco

Val. I 109 sq.:
tela puer facilesque *umeris gaudentibus* arcus
gestat Hylas,

ubi eadem cum translatione humeri dicuntur gaudentes, qua bracchia apud Propertium

IV, 14, 9:

nunc ligat ad caestum *gaudentia bracchia* loris.,

quod imitationem probare videtur.

Itaque etiamsi non omnes, quos attuli, locos paris momenti esse haud ignoro, tamen hoc apparere censeo Flaccum in scribendo aliquoties memorem fuisse Propertii.

Nonnulli viri docti, imprimis vetustiores, videntur persuasum habere in iis poetis, quos imitatur Valerius, esse etiam *Senecam* tragoedum. Afferunt enim nonnunquam tragoediarum eius locos, quasi Flaccus eos secutus sit. Sed errant, ut opinor. Nihil in legendo inveni, quod clare imitationem ostendat. At ne sine causa negare videar, affero nonnullos locos, qui ex iis, qui huc spectant, gravissimi videntur esse, atque spero me legentibus persuasurum esse ne hos quidem imitationem posse probare.

De Pelia Iasonem perdituro dicit Valerius

I 33 sq.: sed neque bella videt Graias neque monstra per urbes
ulla.

Apud Senecam Iuno dicit

Herc. fur. 40: monstra iam desunt mihi (sc. quae opponam Herculi).

Potest fortasse hic statui aliqua similitudo, sed parva tantum neque idonea, qua evincatur imitatio.

Neque aliter iudico de insequenti versu Valeriano

I 34 sq.: Cleonaeo iam tempora clusus hiatu
Alcides,

quocum comparatur

Senec. Herc. Oet. 1932: vallantque feri tempora dentes.

Sed si haec esset imitatio, esset dibilissima nec digna Valerio. Nam Senecae verba multo sunt graviora et exquisitiora.

Val. VI 664 sq.:

ac velut ante comas ac summa cacumina silvae
lenibus adludit flabris levis auster

confertur cum

Senec. Thyest. 156:

ac tremens alludit patulis arbor hiatibus.

Sed quamquam argumentum simile est, non tantum habet proprii, ut imitationem liceat statuere.

Nec plus probatur hoc loco

Val. II 171 sqq.:

adglomerant sese nudisque sub astris
condensae fletus acuunt ac dira precantur
coniugia et Stygias infanda ad foedera taedas.

Senec. Octav. 24 sqq.:

Tellure rupta Tartaro gressum extuli
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
thalamis scelestis

vel eo, quod gloria apud utrumque poetam dicitur urere pectus vel animos mentesque

Val. I 76 sq.: tu sola animos mentesque peruris,
Gloria

Senec. Herc. Oet. 620: urit miserum gloria pectus.

Nam verbum urendi similiter translate positum usitatissimum est, ut sua quoque sponte Valerius hoc scripsisse possit.

Itaque ne ex his quidem, quos attuli, locis, qui omnium gravissimi sunt, imitatio evincitur. Senecam igitur tragoedum Valerius non est secutus. Hoc eo firmius potest contendi, quod, quamquam satis multa scripsit Seneca, tamen non maiores inveniuntur similitudines.

Restat, ut Latinorum poetarum, quos imitatus esse videatur Flaccus, addam eum, qui aetate ei proximus est, *Lucanum*, apud quem, cum epicus sit poeta, exspectamus nos inventuros esse plures locos, quos exemplaria ille sibi sumpserit. Ac nonnullos versus, ubi clarissima erat imitatio, iam supra, cum de Vergilio et Ovidio agerem, attuli. Sed accedunt alii.

Sentientiam et verba nonnulla Valerius I 831 sq.:

ingenti iacet ore *Chaos*, quod pondere fessam
materiem lapsumque queat *consumere mundum*

desumpsisse videtur ex

Lucan. VI 696:

et *Chaos* innumeros avidum *consumere mundos.*

Lucanus, ut quam atrocissimam describat Erichtho, ita dicit

VI 517 sq.: *terribilis* Stygio facies *pallore*, gravatur
inpexis onerata *comis*.

De hoc loco puto Flaccum cogitasse, cum de Idmone, miti vate, qui opponitur atroci Mopso, neget partim iisdem verbis ipsa ea, quae Lucanus dat terribili Erichtho. Dicit enim

I 228 sqq.: sed enim contra Phoebeïus Idmon,
non *pallore* viris, non ullo horrore *comarum*
terribilis.

Deinde in questibus describendis dicit Lucanus

II 27 sq.:

nec dum est ille dolor, sed iam metus: incubat amens
miraturque malum.

Quae verba Valerio in animo haerebant, cum Alcimeden ita faceret gementem

I 326 sq.:

sin aliud Fortuna parat (sc. te perire sinit) miserere parentum,
mors bona, dum metus est nec adhuc dolor.

Dubia imitatio esse non potest his locis:

Val. II 56: puraque nec *gravido surrexit Cynthia cornu*
Lucan. I 218: tertia iam *gravido surrexit Cynthia cornu*

Val. II 527 sqq.:

proicit arma manu, scopulos vicinaque saxa
respicit, et quantum *ventis adiuta vetustas*
*impul*erat pontive fragor, tantum *abscidit* imi
concutiens a sede maris.

Lucan. III 469 sqq.:

at saxum, quoties ingenti verberis ictu
excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas,
frangit cuncta ruens.

Lucan, I 259 legitur:

sed quantum, volucres cum bruma coërcet,
rura silent mediusque *iacet sine* murmure pontus,
tanta quies. Noctis *gelidas* lux *solverat umbras.*

Quorum versuum ultimum facile credes imitatum esse Valerium

III 1: Tertia iam *gelidas* Tithonia *solverat umbras.*

Sed versum quoque antecedentem exemplar putarem fuisse Valerio (III 732), si eam lectionem, quam Burmannus Vossium et Heinsium secutus in textu posuit:

flamina conticuere, *iacet sine* fluctibus aequor,

rectam esse posset demonstrari. Sed satis magna est codicum et coniecturarum varietas. Atque si respicimus Thilonis lectionem:

flamina conticuere, tacet cum flatibus aequor.,

paene nihil relinquitur similitudinis. Ergo nihil certi contendi potest de hoc versu.

At imitatio haec videtur esse

Val. II 77: certatim *remis ag*itur *mare*

Lucan. IX 319: ut primum *remis ac*tum *mare,*

cum verba communia eodem versus loco occurant totusque rhythmus idem sit.

Merorum verborum similitudine non multum probatur, sed affero in fine versus:

Val. V 423:

otia laeta Phari pinguemque sine *imbribus annum*

Lucan. III 70:

effusis magnum Libye tulit *imbribus annum*

Val. VIII 143:

exstat sola parens impletque *ululatibus auras*

Lucan. II 32 sq.: votisque vocari
adsuetas crebris feriunt *ululatibus aures*,

ubi exitus versus non prorsus idem, sed simillimus est,

Val. VII 335: cunctaturque super morituraque *colligit iras*,

ubi sonus ultimorum verborum eo facilius in auribus haerere potuit, quod apud Lucanum bis similis versus exitus occurrit

I 207: subsedit dubius, totam dum *colligit iram*

II 93: — — — ⏑ ⏑ — Libycas ibi *colligit iras*.

Deinde post caesuram semiquinariam

Val. I 801 sq.: atque indignatos || *temerato litore* reges
mente agitet

Lucan. III 193 sq.: cum rudis Argo
miscuit ignotas *temerato litore* gentes,

ubi etiam propterea de imitatione cogitandum videtur, quod verbum temerandi non ita crebrum est.

Apparet igitur ex exemplis allatis satis accurate Valerium secutum esse Lucanum.

Itaque ut comprehendam quam brevissime, quod demonstrasse mihi videor, Valerius de Graecis poetis accuratissime imitatus est Homerum, cuius Iliadem saepius sequitur quam Odysseam, et Pindari Pyth. IV, non Theocritum. De poetis Latinis maxime secutus est Vergilium, atque ex eius operibus praecipue Aeneidem, Ovidium, imprimis eius Metamorphoses, Lucanum, Propertium. De Horatio certo iudicari non potest. Ennium, Lucretium, Catullum, Tibullum, Senecam tragoedum non est imitatus.

Sentententiae controversae.

1. Apollon. Rhod. I 275 traditam lectionem ὀρεχθεῖ servandam, non cum Merkelio in ὀρεκτεῖ mutandam puto.

2. Theocr. XIII 23 sq. omnia recte tradita, sed sic interpungendum puto:

ἀλλὰ διεξάιξεν — βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν —
αἰετὸς ὣς μέγα λαῖτμα, ἀφ' οὗ τότε χοιράδες ἔσταν.

3. Varro L. L. V 3, 17 propono: sic caelum et pars eius summ*a*, ubi stellae, et id quod Pacuvius cum demonstrat dicit:

Hoc vide circum supraque quod complexu continet
Terram.

Traditum est „summ*um*“ pro „summ*a*.“

4. Varro L. L. VII 4, 73 interpunctione mutata sic lego: Arbitror antiquos rusticos primum notasse quaedam in caelo signa, quae praeter alia erant insignia atque ad aliquem usum, culturae tempus designandum, convenire aminadvertebatur.

5. Valer. Flacc. I 670 sqq. contra posteriores editores Lemairium sequendum censeo, qui alia cum interpunctione sic scribit:

Seu casus nox ista fuit, seu, volvitur axis
Ut superum, sic *stare et* opus tollique vicissim
Pontus habet.

Traditum est „staret“ pro „stare et.“

6. Arrian. Cyneg. 16, 8 servanda est tradita lectio: *ἐφομαρτοῦντα δὲ τῷ δρόμῳ ἐπικλάζειν εἰ καὶ μὴ παρα κελευσαίμην, οἶδα ὅτι πολλὴ ἀνάγκη· ὥστε κἂν ἄναυδόν τινα ῥῆξαι φωνήν, οὐ μεῖον ἤ, ὡς λόγος, τὸν Κροίσου υἱέα.*

Vita.

Natus sum Arthurus Grueneberg die XXII. mensis Apr. anni h. s. LXX. in Brandenburgensi vico Juetchendorf, patre Theophilo, matre Emma e gente Lehmann, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus per novem annos adii gymnasium regium Fridericum Guilelmum Berolinense, quod tunc florebat auspiciis Hermanni Kern. Praeceptorum is, qui maxime me commovit, ut studiis philologicis me dederem, est Gustavus Behncke, vir singulari doctrina praeditus et vere humanus, cuius memoriam semper servabo.

Vere anni h. s. LXXXIX. maturitatis testimonium nactus Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis civibus ascriptus sum. Per quattuor annos studiis philologicis et theotiscis operam dedi et docentes audivi viros illustrissimos: Bellermann, Curtius, Deutsch, Diels, Dillmann, Dilthey, Döring, de Gizycki, Heusler, Hirschfeld, Hoffory, Huebner, Kaftan, Kirchhoff, Kleinert, Kübler, Lommatzsch, Meyer, Paulsen, Robert, Roediger, Rothstein, Runze, E. Schmidt, J. Schmidt, Schrader, Sternfeld, Strack, Vahlen, Weinhold, Weiss, Zeller.

Seminarii philologici, quod floret Vahleno et Kirchhoffio rectoribus per ter sex menses sodalis fui ordinarius. Exercitationibus societatis philologicae ab Huebnero institutis interfui per duos annos et dimidium. Praeterea Weinhold ad seminarii germanici exercitationes, Roediger ad theotiscas, Robert ad archaeologicas benigne mihi aditum praebuerunt. His viris omnibus gratias ago candidissimas, praecipue vero Huebnero, qui summa cum benignitate studiis me initiavit et usque ad hoc tempus consilio adiuvit, Kirchhoffio et Vahleno, qui consilio ac disciplina studia mea maxime auxerunt atque sublevaverunt.

Typis expresserunt Gressner et Schramm, Lipsienses.